This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

62/6.

FACULTATEA DE DREPT
SEMINARUL DE FILOSOFIA DREPTULUI ŞI SOCIOLOGIE
CLUJ

Solomon R. Baker
Book Fund

Made possible
by a gift
to the
Stanford
University
Libraries

Digitized by Google

CLUJ
№ 120
CLUJ
FAC... DE DREPT
Digitized by Google

Digitized by Google

NOTITIA RERUM HUNGARICARUM.

PARS SECUNDA.

Digitized by Google

DB924
P3
1775
v.2

Digitized by Google

L. S.

In Præfatione Partis prioris pollicitus eram, me ita opuſculum hoc partiturum, ut prior Tomulus veterem Hungariam, novæ autem primam Periodum complecteretur; poſterior geminas reliquas ad noſtram usque ætatem: at quemadmodum vides Lector benevole, altera hæc, ſive mixta Regum Periodus adeo nec cogitanti mihi ſuccrevit; ut ſola priorem Tomulum mole ſuperaret. Factum id propterea, quod amici crebro monerent cavendum, ne cum in tanta monumentorum copia brevis eſſe volo, obſcurus fiam. Itaque contra quam receperam Auſtriaca e domo Reges ad tertiam, eam-

que poſtremam Partem rejicere neceſſe habeo, ut adeo compendiaria hæc rerum Hungaricarum Notitia tribus Tomulis conſtatura ſit. Monendus de hoc eras Lector benevole! ne contra datam fidem me egiſſe, ac in Joanne de Zápolya deſiiſſe exiſtimares; ſimul autem ut intelligeres, præter hanc, aliam adhuc, quæ tertia erit, ſupereſſe partem. Mutationem hanc neceſſario fieri oportuiſſe tu ipſe Lector intelliges, & veniam, ut ſpero dabis. Jam conatibus noſtris in utilitatem tuam utere & vale.

CON-

Digitized by Google

CONTENTA PARTE SECUNDA
NOTITIÆ RERUM
HUNGARICARUM.

Altera ſeu mixta Regum Hungariæ Periodus - - - Pag. 1

REGUM II. PERIODI
GENEALOGICÆ TABELLÆ.

Tab. I. - - - - -	Pag. 18
Tab. II. - - -	130
Tab. III. - - - -	153
Tab. IV. - - -	232
Tab. V. - - -	268
Tab. VI. - - -	282
Tab. VII. - - -	389
Tab. VIII. - - -	515

RE-

REGUM HUNGARIÆ

Secundæ, ſive mixtæ Periodi ſeries.

Anni aditi Regni.		Anni obitus.
1301	WENCESLAUS BOHEMUS	1306
1305	OTTO BAVARUS	1312
1308	CAROLUS I. ROBERTUS ANDEG.	1342
1342	LUDOVICUS I. MAGNUS	1382
1382	MARIA I.	1392
1384	CAROLUS II. PARVUS	1385
1387	SIGISMUNDUS LUCELBURGICUS	1437
1438	ALBERTUS AUSTRIACUS	1439
1439	ELISABETHA	1442
1440	ULADISLAUS I. POLONUS	1444
1446	JOANNES DE HUNYAD GUBERN.	1456
1453	LADISLAUS V. POSTHUMUS	1457
1458	MATHIAS I. DE HUNYAD.	1490
1490	ULADISLAUS II. POLONUS	1516
1516	LUDOVICUS II.	1526
1526	JOANNES DE ZAPOLYA	1540

NO-

Digitized by Google

NOTITIA
RERUM
HUNGARICARUM.

HUNGARIÆ NOVA.
ALTERA
SEU MIXTA REGUM HUNGARIÆ PERIODUS.

PROOEMIUM.

I.

Hactenus domeſtica Regum Hungariæ familia inde ab Arpado Duce rerum in Hungaria potita fuit, cui uni jus ad ſolium majores Hungarorum olim ſua ſponte voluere; A) ea

Cur mixta nuncupatur?

A) Vide Notit. Rer. Hung. Tom. I. in Procœmio ad *Hungariam Novam* §. III.

Digitized by Google

ea tamen lege uſu ipſo roborata, ut quem vellent ejusdem ſanguinis Principem optare, libere poſſent. Hac in Andrea III. ut diximus deficiente, nullum fœminis ad Regnum jus certum fuit, A) ſed tota Regum quacumque e familia legendorum poteſtas ad liberæ gentis univerſæ ſuffragia devoluta fuerat, niſi quod ea fuere Hungari in ſanguinem ſuum Regium Arpadianum reve-

A) Sunt qui extincta virili Arpadi ſtirpe Regia, jus in Hungaria ſuccedendi hæreditarium continuo ad fœminas translatum fuiſſe contendunt; at enim videant hi, qua ratione illa, quæ principio periodi hujus cum Carolo Roberto evenere explicent. Cum enim Maria Neapolitana Regina, Stephani V. Reg. Hung. filia, Carolum Robertum ſuum ex filio Carolo Martello nepotem, hæreditario jure Hungaris Regem intrudere vellet, id ipſumque Romana Curia vehementer urgeret; Hungari jus ſuum hac ratione infringi adeo acerbe tulere, ut hoc uno ex capite Carolum Robertum Decennio integro a ſolio prohibuerint: geminos ea propter ei oppoſuere æmulos Wenceslaum & Ottonem; neque prius Carolum Robertum Regem conſalutarunt, quam poſtquam plenam electionis libertatem ſibi relictam vidiſſent. Ut mox inferius narraturi ſumus.

Digitized by Google

reverentia & gratitudine, ut huic genere materno propinquiores exterarum familiarum principes remotioribus ante tulerint: quo ex more ſolo haud ſcio, an univerſim ſucceſſio hæreditaria ſexus fœminini certo inferri poſſit; præſertim quia nullum ejus ætatis inſtrumentum hactenus prolatum fuit, quo Hungára gens diſerte ad ſucceſſionem fœmininam perpetuo obſervandam ſemet aliquando ſolenni ritu obligaſſet. Fatendum quidem eſt cum Carolus Robertus Rex electus fuit, Ordines regni hæreditariam ejusdem ſtirpi feciſſe Hungariæ coronam, his verbis: „ Nos igitur ejus-„ dem regni bonum ſtatum & comodum „ ex animo intendentes, diligenti colla-„ tione præhabita, Dominum noſtrum Ca-„ rolum ac *poſteritatem* ejus, prout rega-„ lis ſucceſſio exigit, in Regem Hungariæ „ ac naturalem Dominum perpetuum ſuſci-„ pimus. „ Quæ verba etſi hæreditariam ſucceſſionem ſtirpis Carolinæ ad morem Arpadianæ introductam clare evincant; vix tamen exiſtimo, iis rerum temporumque rationibus Hungaros voce *poſteritatem* foe-

Digitized by Google

minas Carolinæ ſtirpis comprehendere voluiſſe. Negari nihilominus non poteſt hac periodo, cum Reges virili ſtirpe carebant, filias eisdem ſucceſſiſſe. Sic Maria Ludovicum Magnum; Eliſabetha Sigismundum in Regno excepit; verum has ego non tam vi juris hæreditarii olim introducti coronam adeptas, ſed voluntate Parentum conſenſuque Procerum præfectas ſucceſſiſſe, atque ſic ex vero hæredes fuiſſe exiſtimo. Quæ ſi ita ſunt, nondum introducta ſucceſſione fœminina, apud Hungaros deficiente Regia ſtirpe virili, eligendi poteſtas fuit: Variis itaque ex domibus ut merita, ſanguinis propinquitas ac Procerum denique ſtudia ferebant, accerſiti ſunt deinceps, qui Rempublicam Hungaricam moderarentur: unde ratio reddi poteſt, cur alteram hanc Regum periodum mixtam nuncupemus. Initium illi factum a Wenceslao Bohemo, & Ottone Bavaro, quorum uterque a Bela IV. maternum genus traxere. Hos excepit in Carolo Roberto Andina Galliæ Regum familia. Tum Sigismundus Lucelburgicus. Albertus & Ladislaus V. Poſthumus, uterque

que

Digitized by Google

que Auſtriaci. E Jagellonica domo orti ſunt Uladislaus I. & II. ac Ludovicus Uladislai II. filius. Mathiam Corvinum Joannis de Hunyad Gubernatoris inſignia in rem Chriſtianam merita: Joannem de Zapolya alias Scepuſienſem dictum, res bello ruſtico feliciter geſtæ, Uladislai II. & Ludovici II. Regum ignavia potentiorumque favor ex optimatum gradu ad regiæ dignitatis faſtigium evexere. Quinque ſupra decem periodum hanc ab A. C. MCCCI. usque ad A. C. MDXL. quo Joanne ſublato ſolus Ferdinandus Auſtriacus imperare cœpit, abſolverunt.

II. Ex iis, quæ compendio narraturi ſumus, deplorandam ſane rerum humanarum inconſtantiam lectores animadvertent. Sub periodi hujus principium domeſticis æmulorum ſtudiis diſtracta Hungaria, propriis ſemet atterebat armis, non ſine rei communis detrimento; neque prius conquievere turbæ, quam tradito ſtirpi Andinæ ſceptro. Hac imperante, Ludovici potiſſimum Magni virtute Regnum Hungaricum ad ſum-

Quis tum rerum Hungaricarum ſtatus?

Digitized by Google

WEN-CESLAUS. Colocenſi Archi-Epiſcopo Ducibus ſeceſſione facta, ut ſuffragiorum in optando Rege libertatem tuerentur, miſſis in Bohemiam Legatis Wenceslao II. Regi, Ottocari ex Cunegunde Belæ IV. nepte filio, ac una a Conſtantia Belæ III. filia genus ducenti A) Regnum offerunt. Ille collaudatis Hungarorum in ſe ſtudiis, plurium provinciarum curas excuſans, filium cognominem pueritiam nondum egreſſum, ac una Eliſabethæ, quam Andreas III. nuper demortuus Rex Hungariæ ex prima conjuge Fennenazemoviti Cujaviæ alias Wladislaviæ Ducis filia B) ſuſceperat, moriensque ſecundæ

A) Vide Geneal. Reg. Hung. Periodi II. Tab. I.

B) Tentaminis Genealogici Comitum Goritiæ autoritate inductus Tom. I. edit. prioris Andreæ III. Conjugem primam attribueram Claram Euphemiam Goritienſem, at perperam; hæc enim non Andreæ III. Regis, ſed alterius Andreæ Ducis Sclavoniæ ac Ladislai IV. fratris ſponſa fuit. Fennenam autem, quæ Zemoviti Cujaviæ aut Wladislaviæ Ducis & Salomeæ Svatopolci Pomeraniæ Ducis filiæ filia erat, Andreæ III. Regis Uxorem fuiſſe, evidenter oſtendit inſcriptio Sigilli ejusdem Reginæ, quod e tenebris

dæ Conjugis ſuæ Agnetis Auſtriacæ curæ comendaverat, Sponſum A) deſignatum loco ſui comendavit. Id cum Legati pro poteſtate, qua inſtructi fuerant, probaviſſent, confectis ſine mora tabulis, Wenceslaum ſecum in Hungariam deductum per Joannem Colocenſem Archiepiſcopum Albæ Regiæ ritu ſolito inauguravere A. MCCCI. **WENCESLAUS.**

II. Æmulum & vicinum, & potentem ſibi præter ſpem oppoſitum dolens Carolus ... in **Nihilne ea propter a Carolo obmotum?**

---

bris feliciter in lucem protraxit, mihique ſpectandum obtulit Eruditiſſimus Georgius Pray, Cæſareo Regius Hiſtoriographus.

A) Impar tum adhuc per ætatem conjugio fuit Eliſabetha, eaſo autem quinquennio poſt, ut dicemus. Wenceslao, Divi Dominici Parthenonem Thoſſæ in Helvetia ingreſſa Eliſabetha, XXVIII. annos ibi inſigni cum ſanctimonia exegit, ante & poſt obitum miraculis clara. Ejus vitam lege in actis SS. Hungariæ ad VI. Maji a R. P. Joanne Bapt. Prileſzki S. J. Theologo editis Tyrnaviæ Anno MDCCXLIII. Sunt, qui tradunt Wenceslaum repudiata Eliſabetha, conjugem accepiſſe Philam Teſſinenſis ducis Filiam, idque A. MCCCV. Conſule tentamen Genealog. Comit. Goritiæ pag. 159.

WENCESLAUS.

in Croatiam diſceſſit, habitoque cum ſuis conſilio, Bonifacium VIII. Papam de iis, quæ ab Andreæ III. Regis obitu acta ſunt, per celeres nuncios edocuit. Graviter ille tulit Wenceslai electionem, quod ex D. Stephani primi Hungariæ Regis oblatione quadam, A) Hungaris incognita, ſublata virili Arpádi ſtirpe, jus nominandi Regis ad Apoſtolicam ſedem pertinere contenderet, ac idcirco legitimam putaret privatam illam Caroli Roberti inaugurationem, quæ illius juſſu præter uſitatum gentis morem

ritum.

A) Legitur quidem in literis Silveſtri II. Papæ, a Divo Stephano Rege Regnum gentemque Hungaricam B. Petro Apoſtolorum Principi oblatam fuiſſe, verum ejus generis oblatione, qua nos resque noſtras Divinæ protectioni aut Sanctorum Tutelarium patrocinio commendamus, ut adeo D. Stephanus eo facto nil poteſtatis temporalis ſibi ut legitimo principi debitæ in Silveſtrum II. transferre voluiſſe, aut potuiſſe cenſeri debeat. Unde quid Bonifacius VIII. ad imponendum Hungaris arbitrio ſuo Regem juris acquirere potuerit non video. De oblatione hac conſule Illuſtr. Kollar Aug. a Conſiliis, Bibliothecæ Palatinæ hodie Directoris Hiſtor. Diplom. Juris Patron. pag. 57.

ritumque ſummis Hungarorum ingratiis Strigonii Anno MCCCI. peracta fuerat, cui Proceres potiſſimum Illyrici, pauci Hungari, conſenſerant, potiore Optimatum parte conſtanter repugnante. Quapropter Pontifex Wenceslaum II. Bohemiæ Regem per litteras oravit, ut filium Wenceslaum ſine mora ex Hungaria revocaret. At ille filium liberis gentis Hungaricæ ſuffragiis citra fraudem ac vim regno potitum, legitime acquiſito ſolio deturbare, negavit ſuæ eſſe poteſtatis aut voluntatis. Non minus irriti fuere Nicolai Oſtienſis Epiſcopi Apoſtolici in Hungaria Legati pro Carolo conatus. Is indicto Budæ conventu de communibus, ex iis partium ſtudiis enatis differens calamitatibus, diu patienter auditus fuit; at ubi miſſis ambagibus, rem Caroli aperte agere, Antiſtites additis gravioribus minis eo urgere, ac denique Joannem Colocenſem, quod Wenceslaum diademate redimire, ſicque in jura Strigonienſis Eccleſiæ involare auſus eſſet, Romam ad dicendam cauſam evocare cepit; vehemen-

WENCESLAUS.

tius

ea támen lege uſu ipſo roborata, ut quem vellent ejusdem ſanguinis Principem optare, libere poſſent. Hac in Andrea III. ut diximus deficiente, nullum fœminis ad Regnum jus certum fuit, A) ſed tota Regum quacumque e familia legendorum poteſtas ad liberæ gentis univerſæ ſuffragia devoluta fuerat, niſi quod ea ſuere Hungari in ſanguinem ſuum Regium Arpadianum reve-

A) Sunt qui extincta virili Arpadi, ſtirpe Regia, jus in Hungaria ſuccedendi hæreditarium continuo ad fœminas translatum fuiſſe contendunt; at enim videant hi, qua ratione illa, quæ principio periodi hujus cum Carolo Roberto evenere explicent. Cum enim Maria Neapolitana Regina, Stephani V. Reg. Hung. filia, Carolum Robertum ſuum ex filio Carolo Martello nepotem, hæreditario jure Hungaris Regem intrudere vellet, id ipſumque Romana Curia vehementer urgeret; Hungari jus ſuum hac ratione infringi adeo acerbe tulere; ut hoc uno ex capite Carolum Robertum Decennio integro a ſolio prohibuerint: geminos ea propter ei oppoſuere æmulos Wenceslaum & Ottonem; neque prius Carolum Robertum Regem conſalutarunt, quam poſtquam plenam electionis libertatem ſibi relictam vidiſſent. Ut mox inferius narraturi ſumus.

Digitized by Google

reverentia & gratitudine, ut huic generi materno propinquiores exterarum familiarum principes remotioribus ante tulerint: quo ex more ſolo haud ſcio, an univerſim ſucceſſio hæreditaria ſexus fœminini certo inferri poſſit; præſertim quia nullum ejus ætatis inſtrumentum hactenus prolatum fuit, quo Hungára gens diſerte ad ſucceſſionem fœmininam perpetuo obſervandam ſemet aliquando ſolenni ritu obligaſſet. Fatendum quidem eſt cum Carolus Robertus Rex electus fuit, Ordines regni hæreditariam ejusdem ſtirpi feciſſe Hungariæ coronam, his verbis: „ Nos igitur ejus„dem regni bonum ſtatum & comodum „ex animo intendentes, diligenti colla„tione præhabita, Dominum noſtrum Ca„rolum ac *poſteritatem* ejus, prout rega„lis ſucceſſio exigit, in Regem Hungariæ „ac naturalem Dominum perpetuum ſuſci„pimus.„ Quæ verba etſi hæreditariam ſucceſſionem ſtirpis Carolinæ ad morem Arpadianæ introductam certo evincant; vix tamen exiſtimo, iis rerum temporumque rationibus Hungaros voce *poſteritatem* foe-

Digitized by Google

minas Carolinæ ſtirpis comprehendere voluiſſe. Negari nihilominus non poteſt hac periodo, cum Reges virili ſtirpe carebant, filias eisdem ſucceſſiſſe. Sic Maria Ludovicum Magnum; Eliſabetha Sigismundum in Regno excepit; verum has ego non tam vi juris hæreditarii olim introducti coronam adeptas, ſed voluntate Parentum conſenſuque Procerum præfectas ſucceſſiſſe, atque ſic ex vero hæredes fuiſſe exiſtimo. Quæ ſi ita ſunt, nondum introducta ſucceſſione fœminina, apud Hungaros deficiente Regia ſtirpe virili, eligendi poteſtas fuit: Variis itaque ex domibus ut merita, ſanguinis propinquitas ac Procerum denique ſtudia ferebant, accerſiti ſunt deinceps, qui Rempublicam Hungaricam moderarentur: unde ratio reddi poteſt, cur alteram hanc Regum periodum mixtam nuncupemus. Initium illi factum a Wenceslao Bohemo, & Ottone Bavaro, quorum uterque a Bela IV. maternum genus traxere. Hos excepit in Carolo Roberto Andina Galliæ Regum familia. Tum Sigismundus Lucelburgicus. Albertus & Ladislaus V. Poſthumus, uter-

que

Digitized by Google

que Auſtriaci. E Jagellonica domo orti ſunt Uladislaus I. & II. ac Ludovicus Uladislai II. filius. Mathiam Corvinum Joannis de Hunyad Gubernatoris inſignia in rem Chriſtianam merita: Joannem de Zapolya alias Scepuſienſem dictum, res bello ruſtico feliciter geſtæ, Uladislai II. & Ludovici II. Regum ignavia potentiorumque favor ex optimatum gradu ad regiæ dignitatis faſtigium evexere. Quinque ſupra decem periodum hanc ab A. C. MCCCI. usque ad A. C. MDXL. quo Joanne ſublato ſolus Ferdinandus Auſtriacus imperare cepit, abſolverunt.

II. Ex iis, quæ compendio narraturi ſumus, deplorandam ſane rerum humanarum inconſtantiam lectores animadvertent. Sub periodi hujus principium domeſticis æmulorum ſtudiis diſtracta Hungaria, propriis ſemet atterebat armis, non ſine rei communis detrimento; neque prius conquievere turbæ, quam tradito ſtirpi Andinæ ſceptro. Hac imperante, Ludovici potiſſimum Magni virtute Regnum Hungaricum ad ſum- Quis tum rerum Hungaricarum ſtatus?

WENCESLAUS. Colocenſi Archi-Epiſcopo Ducibus ſeceſſione facta, ut ſuffragiorum in optando Rege libertatem tuerentur, miſſis in Bohemiam Legatis Wenceslao II. Regi, Ottocari ex Cunegunde Belæ IV. nepte filio, ac una a Conſtantia Belæ III. filia genus ducenti A) Regnum offerunt. Ille collaudatis Hungarorum in ſe ſtudiis, plurium provinciarum curas excuſans, filium cognominem pueritiam nondum egreſſum, ac una Eliſabethæ, quam Andreas III. nuper demortuus Rex Hungariæ ex prima conjuge Fennena Zemoviti Cujaviæ alias Wladislaviæ Ducis filia B) ſuſceperat, moriensque ſecundæ...

A) Vide Geneal. Reg. Hung. Periodi II. Tab. I.

B) Tentaminis Genealogici Comitum Goritiæ autoritate inductus Tom. I. edit. prioris Andreæ III. Conjugem primam attribueram Claram Euphemiam Goritienſem, at perperam; hæc enim non Andreæ III. Regis, ſed alterius Andreæ Ducis Sclavoniæ ac Ladislai IV. fratris ſponſa fuit. Fennenam autem, quæ Zemoviti Cujaviæ aut Wladislaviæ Ducis & Salomeæ Svatopolci Pomeraniæ Ducis filiæ filia erat, Andreæ III. Regis Uxorem fuiſſe, evidenter oſtendit inſcriptio Sigilli ejusdem Reginæ, quod e tenebris

dæ Conjugis ſuæ Agnetis Auſtriacæ curæ comendaverat, ſponſum A) deſignatum loco ſui comendavit. Id cum Legati pro poteſtate, qua inſtructi fuerant, probaviſſent, confectis ſine mora tabulis, Wenceslaum ſecum in Hungariam deductum per Joannem Colocenſem Antiſtitem Albæ Regiæ ritu ſolito inauguravere A. MCCCI.

WENCESLAUS.

II. Æmulum & vicinum, & potentem ſibi præter ſpem oppoſitum dolens Carolus [illegible] in

Nihilne eapropter a Carolo obmotum?

---

bris feliciter in lucem protraxit, mihique ſpectandum obtulit Eruditiſſimus Georgius Pray, Cæſareo Regius Hiſtoriographus.

A) Impar tunc adhuc per ætatem conjugio fuit Eliſabetha, caſſo autem quinquennio poſt, ut dicemus, Wenceslao, Divi Dominici Parthenonem Thoſſæ in Helvetia ingreſſa Eliſabetha, XXVIII. annos ibi inſigni cum ſanctimonia exegit, & ante & poſt obitum miraculis clara. Ejus vitam lege in actis SS. Hungariæ ad VI. Maji a R. P. Joanne Bapt. Prileſzki S. J. Theologo editis Tyrnaviæ Anno MDCCXLIII. Sunt, qui tradunt Wenceslaum repudiata Eliſabetha, conjugem accepiſſe Phiolam Teſſinenſis ducis Filiam, idque A. MCCCV. Conſule tentamen Genealog. Comit. Goritiæ pag. 159.

Digitized by Google

WENCESLAUS.

in Croatiam diſceſſit, habitoque cum ſuis conſilio, Bonifacium VIII. Papam de iis, quæ ab Andreæ III. Regis obitu acta ſunt, per celeres nuncios edocuit. Graviter ille tulit Wenceslai electionem, quod ex D. Stephani primi Hungariæ Regis oblatione quadam, A) Hungaris incognita, ſublata virili Arpádi ſtirpe, jus nominandi Regis ad Apoſtolicam ſedem pertinere contenderet, ac idcirco legitimam putaret privatam illam Caroli Roberti inaugurationem, quæ illius juſſu præter uſitatum gentis morem

ritum

A) Legitur quidem in literis Silveſtri II. Papæ, a Divo Stephano Rege Regnum gentemque Hungaricam B. Petro Apoſtolorum Principi oblatam fuiſſe, verum ejus generis oblatione, qua nos resque noſtras Divinæ protectioni aut Sanctorum Tutelarium patrocinio commendamus, ut adeo D. Stephanus eo facto nil poteſtatis temporalis ſibi ut legitimo principi debitæ in Silveſtrum II. transferre voluiſſe, aut potuiſſe cenſeri debeat. Unde quid Bonifacius VIII. ad imponendum Hungaris arbitrio ſuo Regem juris acquirere potuerit non video. De oblatione hac conſule Illuſtr. Kollar Aug. a Conſiliis, Bibliothecæ Palatinæ hodie Directoris Hiſtor. Diplom. Juris Patron. pag. 57.

Digitized by Google

ritumque ſummis Hungarorum ingratiis Strigonii Anno MCCCI. peracta fuerat, cui Proceres potiſſimum Illyrici, pauci Hungari, conſenſerant, potiore Optimatum parte conſtanter repugnante. Quapropter Pontifex Wenceslaum II. Bohemiæ Regem per litteras oravit, ut filium Wenceslaum ſine mora ex Hungaria revocaret. At ille filium liberis gentis Hungaricæ ſuffragiis citra fraudem ac vim regno potitum, legitime acquiſito ſolio deturbare, negavit ſuæ eſſe poteſtatis aut voluntatis. Non minus irriti fuere Nicolai Oſtienſis Epiſcopi Apoſtolici in Hungaria Legati pro Carolo conatus. Is indicto Budæ conventu de communibus, ex iis partium ſtudiis enatis diſſerens calamitatibus, diu patienter auditus fuit; at ubi miſſis ambagibus, rem Caroli aperte agere, Antiſtites additis gravioribus minis eo urgere, ac denique Joannem Colocenſem, quod Wenceslaum diademate redimire, ſicque in jura Strigonienſis Eccleſiæ involare auſus eſſet, Romam ad dicendam cauſam evocare cepit; vehementius

WENCESLAUS.

OTTO BAVARUS
REX XXV.
A. C. MCCCV.

OTTO.

Cur Otto prælatus Carolo?

I.

Reverſo in Bohemiam æmulo, proniora Carolo videbantur omnia, quod multi quietis ſtudio ad eum quotidie redibant. Verum libertatis ſuffragiorum amor paulo altius quorumdam animis inhæſerat, quam ut intruſum Regem acciperent. Itaque nihil de priſtina ſententia ſibi recedendum putantes, repente ſtudia ſua in Ottonem Bavarum ex Eliſabetha Belæ IV. filia prognatum a) tranſtulere, ea tamen lege,

Wenceslaus noſter, anno inſequente Olomucii in rixa quadam die IV. Auguſti interfectus. Altera hujus ſoror Anna Henrici Carinthiæ Ducis conjux ſine prole deceſſit: altera Eliſabetha nupſit Joanni Lucelburgico Henrici VII. Imp. filio, Bohemiamque marito attulit. Mater hæc fuit Caroli IV. Imp. Avia Sigismundi Imp. & Regis Hungariæ. Lege tentamen ſupra laudatum Cap. V. Item Vide Geneal. Tab. I.

a) Vide Genealog. Tab. I.

Digitized by Google

OTTO.

ge, uti Diadema e Bohemi manibus ereptum in Hungariam referret. Otto Regiæ dignitatis ſpe animatus, nulla interpoſita mora Pragam contendit, facilique negotio non modo ſacrum illud pignus, verum etiam iſtud impetrat, ut Wenceslaus ſuis in Hungariam juribus renunciaret. His actis, lætus poſt multiplices errores ſuperatasque factionis Carolinæ inſidias, Albam Regiam incolumis demum tenuit, per Benedictum Veſprimienſem, & Antonium Chanadienſem, Michael enim Strigonienſis a Carolo ſtabat, qua licuit celebritate inauguratus Anno MCCCV. Neque Benedictus XI. qui Bonifacio VIII. in Pontificatu ſucceſſerat ea de cauſa Hungaris moleſtus fuit, fortaſſe quod cum Legatum paulo prius in Hungaria egiſſet, cognitis Hungaricæ gentis juribus, alienum a ſuæ ſedis ſanctitate putarit profanis iis turbis implicari.

Quam fœde depulſus Otto?

II. Hunc in Pontificatu excepit Clemens V. Vaſco, qui Carolinas partes extremis viribus ſibi tuendas ſuſcepit. Ut tur-

Digitized by Google

OTTO. turbis finem aliquando imponeret, non Ottoni modo, verum & qui eum ſequerentur anathema comminatus fuit: quo quidem paucorum, qui adhuc reſtabant, ſtudia non mediocriter refrixerunt. Otto inclinantem factionem ſuam reſtituturus, conſilium, iis rerum rationibus opportunum arripuit. Præerat tum Tranſilvaniæ Ladislaus Wayvoda nulli inter eas turbas domeſticas parti addictus: hunc itaque ſibi conciliaturus, filiam in conjugem depoſcit: annuit poſtulatis Ladislaus. Otto nulla interpoſita mora in Tranſilvaniam proficiſcitur, nuptias celebraturus; at mox turpiter ſe deluſum ſenſit, Ladislaus enim e ſocero mox hoſtis factus, Regem nil ſiniſtri opinantem diademate, quod ille ſecum continuo deferebat, ſpoliatum parum humaniter in vincula conjicit. Unde poſtea Emerici de Serény opera liberatus A) vitam

A) Otto quo gratiam liberatori ſuo redderet; quod unum potuit, armorum inſignibus Emericum ejus-

tam ſervaſſe in lucris habuit; difficillimo deinde itinere in Bavariam redux, nihil porro ad repetendum Hungariæ Regnum molitus fuit, niſi quod inanes titulos geſſerit Hungariæ, cui biennio non integro, ſolo fere nomine præfuit. OTTO.

ejusque poſteros exornavit. Vide libellum cui titulus *Glorioſa famæ Serényianæ familiæ*, Lincii Anno MDCLXXX. editum.

Digitized by Google

TABULA I.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI II.

BELA III. Rex Hung. ✠ 1196.
Con. a. Anna Antiochena. b. Margareta Lud. II. Gall. Reg. filia.

Andreas II. R. ✠ 1235.
Con. a Gertrudis

Conſtantia
Ottocarus I. Rex Bohem.

Bela IV. R. ✠ 1270.
Con. Maria

Wenceſl. I. R. Boh.
Cunegundis Philippi Imp. filia.

B. Agnes O.S. Claræ

Stephanus V. R. ✠ 1272.
Con. Eliſabetha

Eliſabetha
Hen. Bav. Dux.

Anna
Radislaus Dux Gal.

Ottocarus II. Rex Boh. cæſus in pugna 1278.
Con. Cunegundis Filia Radislai.

Cunegundis
Ottocarus II. R. Boh.

Otto Rex Hung.

Ladisl. IV. ✠ 1290.
Con. Eliſab. Neap.

Maria - - - - - - - -
Carol. II. Claudus R. Sicil.

Wenceſl. II. R. Boh. ✠ 1305.
* Con. Juditha Rudolphi Imp. Filia.

Carol. Mart. ✠ 1295.
Con. Clementia.

Robert D. Cal. R. Sicil.
a Julanta.

& reliq. Princ. vid. Tab. II. & III.

Wenceslaus III. Rex Hung. ✠ 1306.
Sponſa B. Eliſabeth Andreæ III. filia

Eliſabetha
Joannes Lucelburg.

Carol. I. Rober. R. Hung. vide Tab. II.

Carolus Dux Calabriæ vide Tab. III. -

Carolus IV. Imp. ✠ 1378.
Con. c. Anna d. Eliſabeth Stetinenſis.

Ex c. Wenceſl. Iners Imp. ✠ 1419. ex d. Sigismundus Rex Hung. Imp.
Vide Tab. VII.

CA-

CAROLUS I.
REX XXVI.
A. MCCCVIII.

CAROLUS I.

I.

Qua demum via Regno potitus Carolus?

EX eo tempore legitimo carebat Rege Hungaria; Antiſtites Proceresque tot calamitatum, quæ in Regno domeſticis jactato diſſidiis enaſci neceſſe fuit, pertæſi, tacite Carolum reſpiciebant, cujus præclaram indolem plurium annorum uſu compertam habuere; non alium certe, ſi ſalva liceret libertate, Regem lecturi. Et vero a nemine majores in adeundo regno difficultates digniſſimo Principi objectæ fuere, atque ab iis, qui ejusdem partibus ſtudebant impenſius. Et Regina Neapolitana Maria, & Romani Pontifices dudum id ſva vi commendatione apud generoſam gentem effectum dediſſent, quod intempeſtivis imperiis, & comminationibus tot annis incaſſum contenderant. Carolus tot enaſcentia in dies obſtacula humana induſtria ægre ſuperatum iri videns, ad ſuperos converſus, votum certas easque prolixas precationes

Digitized by Google

CAROLUS I.

a) per omnem vitam recitandi nuncupavit, ſi regno tot curis quaſito ſibi aliquando potiri daretur. Placuiſſe cœlo hæc pietas viſa, brevi enim votorum ſummam attigit. Miſſus a Clemente V. F. Gentilis S. R. E. Cardinalis, comperto, Ottonem regno exceſſiſſe, maximis itineribus in Hungariam delatus, Comitia ad campos Peſtanos in Novembrem A. MCCCVIII. Hungaris indicit. Cum ad præſtitutum tempus incredibilis ordinum omnium frequentia confluxiſſet, Legatus ultimum admoturus arietem, Carolo Principe, ut omnibus eſſet conſpicuus, ſublimiore in loco de induſtria collocato, ſermonem habuit, commemoratisque tot annorum calamitatibus, ſenſim ad Caroli laudes delapſus, univerſos tenera Principis ætate, & quæ huic propriæ ſunt gratiis captos, regis optandi deſiderio comple-

a) Tam longis orationibus cum poſtea per afflictam valetudinem, & regni curas vacare non poſſet Carolus, Benedictus XII. Pontifex commutato eo voto, precum loco XII. egenos alendos commendavit. Ut habetur in Annal. Reg. Hung. ad A. MCCCXXXIX.

Digitized by Google

pleuit. At prope abemt, ut negotium in ipſo exitu Legatus corrumperet, quod Pontificio juſſu electionem Caroli imperare potius quam rogare videretur; ut adeo triſtes Hungarorum ſuam in eligendo Rege libertatem infringi querentium voces exaudirentur. Quo animadverſo, Legatus omiſſis imperiis, ad preces converſus, orare cepit præſentes, ut quocunque demum Rege libere electo malis aliquando finem imponerent. Tum enim vero Hungari ſalvum ſibi electionis jus relinqui cernentes, unanimi voce Carolum Regem Hungariæ ſalutant, humerisque ſublato vitam & felicitatem precantur. Electio in tabulas relata plurium teſtium manibus ſignata fuit XXVII. Novembris A. MCCCVIII.

CAROLUS I.

A) Inſtrumentum hoc primus edidit Carolus Péterfi ex M. S. Vaticanis. Conciliorum Hung. Tom. I. pag. 145. Nonnulla huic inſtrumento legatus Pontificius inſeri curavit: ut de jure Aulæ Romanæ confirmandi Reges Hungariæ & his conſimilia, quæ ab Ordinibus Regni libertatis ſuæ ſtudioſiſſimis ea ætate, minime probata ſunt, ut examinanti patet.

Digitized by Google

CAROLUS I.

Quando inauguratus?

II. Hunc in modum, libera gentis totius ſuffragatione, electo Carolo diadematis conſueti honor defuit, quo niſi ornaretur, conſtabat multos fore, qui eidem obedientiam detrectarent Matthæi Trenchinienſis, qui filius erat Petri de Trenchin, exemplo, qui interregni tempore arrepta in ſuperiore Hungaria tyrannide, opibus viribusque ſuis confiſus, Caroli electioni cum paulo ante per nuncios Sacramentum dixerat aperte intercesſerat. Huic malo ut obviam iretur, Comitia anno inſequente rurſum Budam convocata. Ubi Cleri Hungarici conſulto, anathema latum in Matthæum, ejusque ſequaces, nec non in eos, qui bona ad Regem ſacramque coronam ſpectantia detinerent. Conſimilis pœnæ comminatio facta Ladislao Wayvodæ Tranſilvano, niſi diadema Ottoni, ut diximus ereptum, reſtitueret. Quod ſi ea re inſuper habita, nihilominus Wayvoda perſtaret in ſententia, illud perferri voluiſſet Legatus, ut Carolo quavis alia corona redimito tantundem eſſet auctoritatis, quantum ſi conſueto diademate auctus fuiſſet.

Verum

Digitized by Google

Verum iſtud poſtremum a moribus regni ad id temporis alienum, vehementer diſplicuit Hungaris, graviterque ſuccenſebant, adeo exiguam ſacerrimi illius pignoris, morisque ab ipſo primo Rege D. Stephano introducti, & conſtantiſſime obſervati a Legato habitam fuiſſe rationem. Quapropter Thomas Strigonienſis moleſtiſſimo in Tranſilvaniam ſuſcepto itinere Wayvodæ animum experiri voluit, ſuaque auctoritate id effecit, ut is Caroli partibus libens accederet, ac una diadema haud gravate reſtitueret. Ejus rei fama per regnum ſparſa, univerſa pene Hungaria ad Peſtanos campos confluxit. Prior Legatus Pontificius verba fecit, quibus ſingulos fidei, quam nuper dederant admonuit. Hunc excepit Auguſtinus Zagrabienſium Antiſtes, qui eloquentiæ ſuæ vi adeo ſingulos incendit, ut ſoluta concione cuncti, qui aderant, trajecto danubio Albam conceſſerint, ubi poſtridie D. Stephani Regis Hungariæ A. MCCCX, a Thoma Strigonienſi Archiepiſcopo ſacro diademate ceteriſque uſitatis inſignibus inauguratus Carolus,

CAROLUS I.

Digitized by Google

CAROLUS I.

poſt toleratos prope decennio labores, ſui demum ſecurus conquievit, revocataque poſtliminio pace florentiſſimam deinceps reddidit Hungariam.

Redditane continuo quies patriæ?

III. Quanquam quatuor ipſos annos frangendo Matthæo Trenchinienſi impendere neceſſe fuit. Ambitioſus homo per turbas domeſticas adeo potentiam ſuam augere noverat, ut inde a Caſſovia ſuperioris Hungariæ Regionem Comaromium usque in poteſtate haberet: firmiſſimas quasque arces milite ſuo inſederat, adhæc tanto numero alebat copias, e latronibus conſcriptas, ut Carolus vix pares iis rerum initiis poſſet opponere. Verum ubi Matthæus ad Vicum Rozgony prope Caſſoviam Anno MCCCXII. die XV. Junii cruenta ſane pugna fractus fuiſſet a), ac una Comaromien-

mien-

a) Id loci decretoriam inter Carolum & Matthæum ceterosque factioſos commiſſam fuiſſe pugnam patet ex Diplomate Stephano & Arnoldo fratribus dato A. MCCCXVII. quod recitat Cl. Carolus

Wagner

Digitized by Google

CAROLUS I.

mienſis arx Auſtriacis ſuppetiis in poteſtatem redacta, ſenſim hominem ſui deſeruere ipſeque non multo poſt fœdiſſimo conſumtus morbo anathematis vinculo obſtrictus expiravit, & Carolum ingenti metu liberavit. In Dalmatia etiam res turbatæ erant Dynaſtarum Tyrannidem affectantium perfidia, quibus edomandis impar fuit Caroli Regis potentia. Atque hoc tempore maritimæ Dalmatiæ urbes, ſi Jadram, quæ utcunque in fide perſtitit, demas, in Venetæ Reipublicæ dominatum, Carolo nequidquam obſiſtente concedere cepere A). Sic quæ antea prima Carolum acceperat, pluribusque annis ſumma fide defenderat Dalmatia, prima omnium ab ejus legitimi jam Regis

Wagner Cæſareo Reg. Hiſtoriographus Analectorum Scepuſii Sacri & Prof. Tom. I. pag. 121. Item ex altero Saxonibus Scepuſienſibus teutonico idiomate conſcripto, ac ipſo Prælii anno MCCCXII. dato ibidem pag. 199.

A) Lucius de Regnis Dalm. & Croat. lib. IV. Annal. Reg. Hung. ſparſim in geſtis Caroli.

CAROLUS I.

& S. Coronæ Hungaricæ dominatione ſe ſubduxit, a Ludovico poſtea Caroli filio ſacræ coronæ juribus cum fœnore vindicanda. In Hungaria autem tranquilla fuere omnia usque ad barbarum Feliciani facinus, qui ſtuprum filiæ ſuæ Claræ, a Caſimiro Rege Poloniæ, Reginæ Eliſabethæ fratre oblatum, ut quidam volunt, majore ulturus ſcelere die XVII. Aprilis Ann. MCCCXXX. cœnantem in ſuburbano Viſſegradi univerſam familiam Regiam ſtricto mucrone adortus, Rege Carolo graviter ſauciato, Regina quatuor dextræ digitis mulctata, Ludovicum & Andream Regios Principes necaturus erat, niſi Gyulæ filius de Kenéſich, & Joannes filius Palatini Principum pedagogi objectu corporis ſui furentis impetum ſtitiſſent; mox ab accurrentibus Aulæ miniſtris humi proſtratus Felicianus, multis vulneribus vitam finiit. Parricidii attentati magnitudinem æquavit ſupplicii atrocitas: ex Senatus enim conſulto, quotquot felicianum cognatione ad tertium usque gradum attingebant, morte aut

exilio

Digitized by Google

exilio, & bonorum publicatione alienum crimen eluere. A)

CAROLUS I.

Quomodo geſtum bellum Walachicum?

IV. Bella complura exitu fere proſpero ſi Valachicum An. MCCCXXX. geſtum demas, confecit Carolus. Thomas Tranſilvaniæ Wayvoda præfectura ſua minime contentus Valachiam pariter, exauctorato Bazarado ejus gentis Wayvoda & Bano Severini ſibi adjici cupiebat. Id ut effectum daret, Bazaradum nulla hactenus in Regem Hungariæ perfidia notatum, confictis criminibus adeo apud Carolum in odium adduxerat, ut continuo bellum in eum decerneretur. Occupata Severini arce B) ejus-

A) Chronicon M. Thurotzii, & Annal. Reg. Hung. ad hunc annum.

B) Arx Severini olim Zewrini eſt ſita in Walachia, erat hæc Sedes Bani, qui & loco, & circumſitæ regioni ſumma cum poteſtate præerat. Inſtitutus eſt Banatus Severinenſis a Bela IV. Rege, contra Bulgaros. Ceſſerat idem Rex ejus adminiſtrationem ad tempus Equitibus Rhodiis, his iterum ſucceſſere Bani, dum denique diruta per Tur-

cas

CARO-
LUS I.

ejusdemque Banatu in Dyoniſium de Joanka translato, circum jacentem regionem hoſtiliter invadunt Hungari. Bazaradus ea re perculſus miſſis nunciis Caroli æquitatem & clementiam implorat, ad conſuetum annis ſingulis vectigal VII. inſuper argenti pondo liberaliter offert, ſi modo ſibi in Wayvodatu Walachiæ perſtare liceat: quin etiam in certius fidei & ſubjectionis ſuæ argumentum, filiorum unum ſe ad Aulam Regiam miſſurum promittit Regi ſuo ab obſequiis futurum, at fruſtra: Carolus non ſine ſtomacho & convicio rejectis legatis, in mediterranea exercitum promovet; at poſtquam ſuperatis alpibus partim igne corruptam, partim ſterilitate inanem cernit regionem, cum inedia ſibi mox colluctandum ſenſit. Itaque mitior factus, quam ante rejecerat pacem, offert, copiasque reducere tentat. Verum haud ita expe-

eas Severinenſi arce, ejus loco Mathias Corvinus Temesvarinenſem Banatum erexit qui Comiti Temeſienſi ſubjectus erat. Vide Timon Imag. Nov. Hung. pag. 38.

Digitized by Google

expeditus fuit receptus: Valachi enim illatam Regulo injuriam ulturi, editiora ſaltuum loca clam inſederant, cumque per ſubjectas anguſtias iter agunt Hungari, immenſo Saxorum telorumque imbre in prætereuntes effuſo, fortiſſimos quosque viros impune ſternunt. a) Carolus, qui omnium maxime petebatur, mutato habitu ſuorum clipeis corporibusque protectus ægre diſcrimen evaſit. Cladis magnitudinem auxit Valachorum ſeceſſio, qui nullis poſtea artibus quoad vixit Carolus ad obedientiam poterant revocari: adeo nempe bella temere ſuſcepta parum proſperos habent exitus.

CAROLUS I.

V.

a) Ceteros inter occiſo Andrea Præpoſito Albenſi Tranſilv. Vice-Cancellario, Sigillum Regium perierat: quare ne quis fraudi eſſet locus cunctas litteras ab ſe datas Carolus novo Sigillo confirmari voluit. Poſterius hoc Sigillum ſcutum, refert gemina Cruce Hungarica inſignitum, quod utrinque Dracones Telamonum vice ſuſtinent. Geſtum eſt bellum Valachicum An. MCCCXXX. Annal. Reg. Hungar. ad hunc annum.

Digitized by Google

CAROLUS I.

Cum Serviis? Ruſſis? Tartaris?

V. Paulo aliter dimicatum cum ceteris hoſtibus. Uroſius Serviæ Regulus inita cum vicinis populis ſocietate, excuſſo ſacræ coronæ jugo, crebro Hungariæ finibus infeſtus fuit. Carolus perfidum clientem juſtis aliquot prœliis fractum ad obſequium revocavit, tum continuato in ejus ſocios bello, Macedoniam quæ mediterranea eſt, ſubjugavit, maritimam oram, quod claſſe careret, tentare non auſus A). In Ruſſiam etiam jam inde ab Andrea II. Rege S. Coronæ Hungaricæ obnoxiam Ann. C. MCCCXXXII. Carolus expeditionem adornavit. Nonnulli enim Ruſſiæ populi, contra quam fideles ſubditos decebat, Tartaris ex Hungaria profugis ac latrocinia in limitibus Regni exercentibus aſylum præbebant. Ad hos itaque Domandos Carolus bellum decrevit: verum Ruſſi viribus ſuis diffiſi, priusquam ad manus res veniret, agnita culpa ad legitimi Regis ſui Caroli obſequium rediere, a quo minime eos deinceps abiiſſe argumento eſt, quod Locka Ruthe-

A) Annal. ad A. MCCCXX.

Digitized by Google

Ruthenorum Dux, cum populi primoribus, Anno MCCCXXXVIII. circa Feſtum SS. Petri & Pauli Apoſtolorum Viſſegradum appulerit, ibidemque Carolo Regi ſuo fidem communi nomine obſtrinxerit. A) Cum Tartaris paulo difficilius negotium fuit, quod populatione potius quam bello rem gerebant: nihil ab eorum incurſionibus ſive in Cumania, qua hodie jacet Moldavia; ſive in Ruſſia S. Coronæ Hungaricæ ſubjecta tutum fuit: neque enim conſtat, eos in Hungariæ proprie dictæ fines unquam incurriſſe. Et vero potiſſimum Ruſſiæ limitum cauſa Carolo cum Tartaris negotium fuit. Poſtquam enim gemini Ruthenorum Tartaris conterminorum Duces, qui incredibili fortitudine & Conſtantia Tartarorum progreſſionibus obſiſtebant e vivis exceſſerant, Tartari, quaſi ſoluto aggere, in memoratas ditiones incurrere cepere, ſpe freti fore; ut ſubacta hac Ruſſiæ ſibi vicinæ parte, univerſam ſubinde Ruſ-

CAROLUS I.

A) Chronicon M. Thurocz. Part. II. Cap. XCVIII.

CAROLUS I.

Ruſſiam Hungaris tum obnoxiam ſibi ſubjiciant, indeque poſtea libere in ipſam Poloniam graſſentur a) Carolus ex adverſo ſuum eſſe putavit, Ruſſorum ſibi ſubjectorum limites tueri, ſecuritatique totis viribus proſpicere: Itaque Ruſſiæ a Tartaris vindicandæ cauſa: graviſſimum illud bellum exarſit, quod Carolum cum Tartaris geſſiſſe ſcriptores exteri æque ac domeſtici teſtantur. Carolus ut vires eo celerius in hoſtem colligere poſſet, uſitato id temporis more, *cruciatam* expeditionem a Pontifice in Hungaria indici petiit: imo etiam, quod bellum in incultis Ukrainæ & Tartariæ

a) Metum non de nihilo fuiſſe, patet ex Uladislai Regis Polon. literis ad Pontificem datis ubi: *Nobis* inquit *& terris noſtris ex vicinitate Tartarorum, quos de certo credimus terram Ruthenorum noſtris metis contiguam - - - occupare, perturbatio indicibilis imminebit* & infra: auxilium a Pontifice petens: *ne* inquit *tartari occupent terram Ruthenorum & per conſequens nos invadant* Vide Raynald. ad An. MCCCXXIV. Ex literis his colligitur, Ruſſiam nondum ea ætate Polonis ſubjectam fuiſſe, cum eam ſolum terris ſuis contiguam appellat Uladislaus Rex Poloniæ.

Digitized by Google

niæ plagis gerendum prævidebat, hoc tempore, ut ego quidem reor, veniam diebus ab Eccleſia vetitis, veſcendi carnibus ſibi ſuoque exercitui impetravit. A) Promulgatis Joannis XX. Pontificis literis, cum incredibilis numerus ſub ſignum crucis confluxiſſet, Carolus An. MCCCXXXIV. bellum in Ruſſia contra Tartaros inſtauravit, atque anno inſequente glorioſe confecit, reportata inſigni de Tartaris e Ruſſia profligatis victoria, de qua poſtea Benedictus XII. Pontifex Joannis XX. ſucceſſor ele- CAROLUS I.

A) In Annalibus Reg. Hung. ad A. MCCCXXXII. mentio fit facultatis hujus a Pontifice impetratæ, idque occaſione belli Ruſſici, verum id ego bellum contra Tartaros ſuſceptum eſſe exiſtimo, atque in Ruſſiæ limitibus Tartariæ contiguis geſtum: id quod occaſionem dedit ſcriptoribus, bellum Tartaricum Caroli cum Ruſſico confundendi, Ruſſosque, de quibus ſermo eſt, infideles, Eccleſiæque hoſtes appellandi: quos tamen Uladislaus Rex Pol. in Epiſtola ſuperius citata, Romano Pontifici obedientes & eidem annua tributa (quæ Denarius S. Petri appellabantur) pendere ſolitos aſſerit.

Digitized by Google

CAROLUS I.

poſt toleratos prope decennio labores, ſui demum ſecurus conquievit, revocataque poſtliminio pace florentiſſimam deinceps reddidit Hungariam.

Redditane continuo quies patriæ?

III. Quanquam quatuor ipſos annos frangendo Matthæo Trenchinienſi impendere neceſſe fuit. Ambitioſus homo per turbas domeſticas adeo potentiam ſuam augere noverat, ut inde a Caſſovia ſuperioris Hungariæ Regionem Comaromium usque in poteſtate haberet: firmiſſimas quasque arces milite ſuo inſederat, adhæc tanto numero alebat copias, e latronibus conſcriptas, ut Carolus vix pares iis rerum initiis poſſet opponere. Verum ubi Matthæus ad Vicum Rozgony prope Caſſoviam Anno MCCCXII. die XV. Junii cruenta ſane pugna fractus fuiſſet A), ac una Comaromien-

A) Id loci decretoriam inter Carolum & Matthæum ceterosque factioſos commiſſam fuiſſe pugnam patet ex Diplomate Stephano & Arnoldo fratribus dato A. MCCCXVII. quod recitat Cl. Carolus Wagner

CAROLUS I.

mienſis arx Auſtriacis ſuppetiis in poteſtatem redacta, ſenſim hominem ſui deſeruere ipſeque non multo poſt fœdiſſimo conſumtus morbo anathematis vinculo obſtrictus expiravit, & Carolum ingenti metu liberavit. In Dalmatia etiam res turbatæ erant Dynaſtarum Tyrannidem affectantium perfidia, quibus edomandis impar fuit Caroli Regis potentia. Atque hoc tempore maritimæ Dalmatiæ urbes, ſi Jadram, quæ utcunque in fide perſtitit, demas, in Venetæ Reipublicæ dominatum, Carolo nequidquam obſiſtente concedere cepere A). Sic quæ antea prima Carolum acceperat, pluribusque annis ſumma fide defenderat Dalmatia, prima omnium ab ejus legitimi jam Regis

Wagner Cæſareo. Reg. Hiſtoriographus Analectorum Scepuſii Sacri & Prof. Tom. I. pag. 121. Item ex altero Saxonibus Scepuſienſibus teutonico idiomate conſcripto, ac ipſo Prælii anno MCCCXII. dato ibidem pag. 199.

A) Lucius de Regnis Dalm. & Croat. lib. IV. Annal. Reg. Hung. ſparſim in geſtis Caroli.

CARO-
LUS I.

& S. Coronæ Hungaricæ dominatione ſe ſubduxit , a Ludovico poſtea Caroli filio ſacræ coronæ juribus cum fœnore vindicanda. In Hungaria autem tranquilla fuere omnia usque ad barbarum Feliciani facinus , qui ſtuprum filiæ ſuæ Claræ , a Caſimiro Rege Poloniæ , Reginæ Eliſabethæ fratre oblatum , ut quidam volunt , majore ulturus ſcelere die XVII. Aprilis Ann. MCCCXXX. cænantem in ſuburbano Viſſegradi univerſam familiam Regiam ſtricto mucrone adortus), Rege Carolo gravius ſauciato , Regina quatuor dextræ digitis mulctata, Ludovicum & Andream Regios Principes necaturus erat, niſi Gyulæ filius de Kenéſich , & Joannes filius Palatini Principum pedagogi objectu corporis ſui furentis impetum ſtitiſſent; mox ab accurrentibus Aulæ miniſtris humi proſtratus Felicianus , multis vulneribus vitam finiit. Parricidii attentati magnitudinem æquavit ſupplicii atrocitas : ex Senatus enim conſulto, quotquot felicianum cognatione ad tertium usque gradum attingebant, morte aut

exilio

exilio, & bonorum publicatione alienum crimen eluere. A)

CAROLUS I.

IV. Bella complura exitu fere proſpero ſi Valachicum An. MCCCXXX. geſtum demas, confecit Carolus. Thomas Tranſilvaniæ Wayvoda præfectura ſua minime contentus Valachiam pariter, exauctorato Bazarado ejus gentis Wayvoda & Bano Severini ſibi adjici cupiebat. Id ut effectum daret, Bazaradum nulla hactenus in Regem Hungariæ perfidia notatum, confictis criminibus adeo apud Carolum in odium adduxerat, ut continuo bellum in eum decerneretur. Occupata Severini arce B) ejus-

Quomodo geſtum bellum Walachicum?

A) Chronicon M. Thurotzii, & Annal. Reg. Hung. ad hunc annum.

B) Arx Severini olim Zewrini eſt ſita in Walachia, erat hæc Sedes Bani, qui & loco, & circumſitæ regioni ſumma cum poteſtate præerat. Inſtitutus eſt Banatus Severinenſis a Bela IV. Rege, contra Bulgaros. Ceſſerat idem Rex ejus adminiſtrationem ad tempus Equitibus Rhodiis, his iterum ſucceſſere Bani, dum denique diruta per Tur-

cas

CAROLUS I.

ejuſdemque Banatu in Dyoniſium de Joanka tranſlato, circum jacentem regionem hoſtiliter invadunt Hungari. Bazaradus ea re perculſus miſſis nunciis Caroli æquitatem & clementiam implorat, ad conſuetum annis ſingulis vectigal VII. inſuper argenti pondo liberaliter offert, ſi modo ſibi in Wayvodatu Walachiæ perſtare liceat: quin etiam in certius fidei & ſubjectionis ſuæ argumentum, filiorum unum ſe ad Aulam Regiam miſſurum promittit Regi ſuo ab obſequiis futurum, at fruſtra: Carolus non ſine ſtomacho & convicio rejectis legatis, in mediterranea exercitum promovet; at poſtquam ſuperatis alpibus partim igne corruptam, partim ſterilitate inanem cernit regionem, cum inedia ſibi mox colluctandum ſenſit. Itaque mitior factus, quam ante rejecerat pacem, offert, copiasque reducere tentat. Verum haud ita expe-

eas Severinenſi arce, ejus loco Mathias Corvinus Temesvarinenſem Banatum erexit qui Comiti Temeſienſi ſubjectus erat. Vide Timon Imag. Nov. Hung. pag. 38.

CAROLUS I.

expeditus fuit receptus: Valachi enim illatam Regulo injuriam ulturi, editiora ſaltuum loca clam inſederant, cumque per ſubjectas anguſtias iter agunt Hungari, immenſo Saxorum telorumque imbre in prætereuntes effuſo, fortiſſimos quosque viros impune ſternunt. a) Carolus, qui omnium maxime petebatur, mutato habitu ſuorum clipeis corporibusque protectus ægre diſcrimen evaſit. Cladis magnitudinem auxit Valachorum ſeceſſio, qui nullis poſtea artibus quoad vixit Carolus ad obedientiam poterant revocari: adeo nempe bella temere ſuſcepta parum proſperos habent exitus.

V.

a) Ceteros inter occiſo Andrea Præpoſito Albenſi Tranſilv. Vice-Cancellario, Sigillum Regium perierat: quare ne quis fraudi eſſet locus cunctas litteras ab ſe datas Carolus novo Sigillo confirmari voluit. Poſterius hoc Sigillum ſcutum refert gemina Cruce Hungarica inſignitum, quod utrinque Dracones Telamonum vice ſuſtinent. Geſtum eſt bellum Valachicum An. MCCCXXX. Annal. Reg. Hungar. ad hunc annum.

Digitized by Google

CAROLUS I.

Ruſſiam Hungaris tum obnoxiam ſibi ſubjiciant, indeque poſtea libere in ipſam Poloniam graſſentur a) Carolus ex adverſo ſuum eſſe putavit, Ruſſorum ſibi ſubjectorum limites tueri, ſecuritatique totis viribus proſpicere. Itaque Ruſſiæ a Tartaris vindicandæ cauſa: graviſſimum illud bellum exarſit, quod Carolum cum Tartaris geſſiſſe ſcriptores exteri æque ac domeſtici teſtantur. Carolus ut vires eo celerius in hoſtem colligere poſſet, uſitato id temporis more, *cruciatam* expeditionem a Pontifice in Hungaria indici petiit: imo etiam, quod bellum in incultis Ukrainæ & Tartariæ

a) Metum non de nihilo fuiſſe, patet ex Uladiſlai Regis Polon. literis ad Pontificem datis ubi: *Nobis* inquit *& terris noſtris ex vicinitate Tartarorum, quos de certo credimus terram Ruthenorum noſtris metis contiguam - - - occupare, perturbatio indicibilis imminebit* & infra: auxilium a Pontifice petens: *ne* inquit tartari *occupent terram Ruthenorum & per conſequens nos invadant* Vide Raynald. ad An. MCCCXXIV. Ex literis his colligitur, Ruſſiam nondum ea ætate Polonis ſubjectam fuiſſe, cum eam ſolum terris ſuis contiguam appellat Uladiſlaus Rex Poloniæ.

Digitized by Google

CAROLUS I.

ſiæ plagis gerendum prævidebat, hoc tempore, ut ego quidem reor, veniam diebus ab Eccleſia vetitis, veſcendi carnibus ſibi ſuoque exercitui impetravit. A) Promulgatis Joannis XX. Pontificis literis, cum incredibilis numerus ſub ſignum crucis confluxiſſet, Carolus An. MCCCXXXIV. bellum in Ruſſia contra Tartaros inſtauravit, atque anno inſequente glorioſe confecit, reportata inſigni de Tartaris e Ruſſia profligatis victoria, de qua poſtea Benedictus XII. Pontifex Joannis XX. ſucceſſor ele-

A) In Annalibus Reg. Hung. ad A. MCCCXXXII. mentio fit facultatis hujus a Pontifice impetratæ, idque occaſione belli Ruſſici, verum id ego bellum contra Tartaros ſuſceptum eſſe exiſtimo, atque in Ruſſiæ limitibus Tartariæ contiguis geſtum: id quod occaſionem dedit ſcriptoribus, bellum Tartaricum Caroli cum Ruſſico confundendi, Ruſſosque, de quibus ſermo eſt, infideles, Eccleſiæque hoſtes appellandi: quos tamen Uladislaus Rex Pol. in Epiſtola ſuperius citata, Romano Pontifici obedientes & eidem annua tributa (quæ Denarius S. Petri appellabantur) pendere ſolitos aſſerit.

Digitized by Google

CAROLUS I.

gantibus literis A) gratulatus fuit. Atque hæc de Tartaris Victoria, Ruſſiæque ſecuta liberatio occaſio fuerit, ut Lotka Ruthenorum Dux, de quo ſupra meminimus, in Hungariam veniret, Caroloque Regi ac liberatori ſuo non modo gratias ageret, verum etiam clientelam novo argumento profiteretur: Unde Hungariam ea ætate in Ruſſiæ Rubræ Dominio ac poſſeſſione fuiſſe intelligi poteſt.

Qua ratione Neapolitana jura Carolo reſtituta?

VI. Has inter belli progreſſiones, cum ex quarta conjuge Eliſabetha B) tres ſuſtuliſſet liberos, his quemadmodum pro digni-

A) Benedicti XII. Papæ litteras gratulatorias ob hanc victoriam, lege in Annal. ad hunc annum.

B) Primam conjugem ante inaugurationem ſuam, duxit Carolus Catharinam Teſchinenſem; hac demortua, Mariam Caſimiri Poloniæ Ducis filiam: tum Beatricem Lucelburgicam, Joanne Bohemiæ Rege, & Eliſabetha Wenceslai Hung. Regis ſorore genitam. Ex his cum nullam haberet Sobolem, quarto conjugio, ſibi junxit Eliſabetham Uladislai Loctici filiam, Ludovici Magni, Andreæ & Stephani liberorum Matrem pientiſſimam. Vide Geneal. Tab. II.

Digitized by Google

gnitate provideret non parum ſollicitus fuit. Angebat eum maxime Neapolitani Regni amiſſi dolor. Cum enim in acquirendo regno Hungariæ olim deſudaret, Carolo II. Rege Avo ſuo An. MCCCVIII. demortuo, Robertus Patruus. a) Avenionem profeſtus a Clemente V. Pontifice ratam haberi impetravit Bonifacii VIII. Pontificis factam An. MCCXCVII. de ſucceſſione conſtitutionem ſicque pro ſe, ſuisque hæredibus, excluſo Carolo noſtro, ſenioris fratris Caroli Martelli filio, ac idcirco primogeniti Juribus gaudente, Regni Neapolitani inveſtituram obtinuit. Diſſimulandum id erat Carolo, quod tum maxime Clementis V. Papæ opera in quærenda Hungariæ Corona uteretur. Poſteaquam autem firmam ſibi reddidit Regni Hungarici poſſeſſionem, acerbe de injuria hac conqueſtus, bellum Roborto Patruo ea propter obmoturus erat, niſi id in cauſa fuiſſet, quod maritima deſtitutus Dalmatia, claſſe careret, qua copias commode Neapolim traduceret: ſed

CAROLUS I.

a) Vide Genealog. Tab. I. II. & III.

CAROLUS I.

turbida ea conſilia intercepit mors Caroli Calabriæ Ducis, qui unicus Roberti filius erat. Hic cum duas reliquiſſet filias Joannam, & Mariam hæredes, Carolus noſter id cepit conſilii, ut Senior natu Joanna Andreæ filio ſuo conjungeretur dotisque nomine Regnum adferret: altera Maria Ludovico aut Stephano in manus conveniret, ſicque Filiis ſuis & jure naſcendi, & nuptiarum nexu certa fieret in Regno Neapolitano ſucceſſio. Eum in finem Carolus noſter Neapolim ipſe profectus, Andream filium eo deduxit, apud Robertum Patruum in ſpem & nuptiarum, A) & Regni educandum, quem in finem Joannes XX. Pontifex ſanguinis vinculum ſolvit inter Caroli noſtri Regis filios, & Caroli Ducis Calebriæ filias. Sed hæc conſilia parum proſperos exitus habuere: Andreas enim, ut poſtea dicemus, fraude conjugis Joannæ barbare necatus fuit: Mariam autem ſororem connivente Clemente VI. Pontifice

An.

A) Peractæ ſunt eæ nuptiæ probante Pontifice A. MCCCXXXIII. inſpice Genealog. Tab. I. II. III.

An. MCCCXLIII. Ludovico Regi Hungariæ præripuit Carolus Dyrrachii Dux, id quod illi poſtea exitio fuit. CAROLUS I.

VII. Eodem prope tempore ampliſſimi Poloniæ Regni olim obtinendi Carolo Regi ſpes oblata. Caſimirus III. Poloniæ Rex idemque Eliſabethæ Reginæ noſtræ Germanus, cum nullum adhuc ſuſtuliſſet hæredem, ut regni orbitati proſpiceret, de ſucceſſore in vivis adhuc conſtituendo vehementer ſollicitus, Carolo noſtro ejusdemque poſteritati impenſius favebat: nec abs re: meminerat enim, ſe ſceptrum Polonicum Carolo potiſſimum acceptum debere, qui miſſis An. MCCCXXXIV. ad Comitia Cracovienſia legatis, optimates Regni, perpetuæ amicitiæ, & adverſus quovis hoſtes auxiliorum pollicitatione, eo adduxit, ut Caſimirum demortuo Uladislao III. ſurrogarint: præterea in Conventu Viſſegradenſi, quo An. MCCCXXXV. circa Feſtum S. Martini Epiſcopi Caſimirus Poloniæ, & Joannes Bohemiæ Reges advenerant, non modo pacem inter eos conciliavit,

Qui acquiſitum jus in Poloniam?

CAROLUS I.

A) Verum etiam, ut litium omnium cauſas præcideret, perſolutis Bohemo Regi quingentis auri puriſſimi marcis a pendendis eidem deinceps Vectigalibus Poloniæ Regem liberavit. His igitur beneficiis, ut vicem redderet Caſimirus, Primores Poloniæ hortatione ſua eo adduxit, ut ſi ipſe ſine ſobole decederet, Carolum aut aliquem ex ejus filiis Regem eligerent, quæ pactio ut firmior eſſet, An. MCCCXXXIX. Caſimirus ipſe in Procerum Polonorum Comitatu Viſſegradum, familiarem Carolo noſtro locum, pervenit, conſentientibusque ſuis Ludovicum primogenitum Regnorum ſuorum hæredem inſtituit, & ſolennibus tabulis roboravit B). Liberaliter ea propter ac opipare in Aula Hungarica habiti Poloni, Regis Caroli munificentiæ famam in Poloniam propagarunt.

VIII.

A) Tabulas concordiæ lege in Annalibus Reg. Hung. ad annum cit. Conſule item Chronicon. M. Thuroczii P. II. Cap. XCVIII.

B) Annal. Reg. Hung. ad hunc annum.

Digitized by Google

CAROLUS I.

Quibus artibus Hungaria Ludovico firmata?

VIII. Maxima interea Carolo cura fuit certam filio Ludovico reddere Hungarici Regni poſſeſſionem, quod meminerat, quantis id ſibi olim laboribus ſtetiſſet. Quo igitur obices tolleret; quoniam ut ſe vivo Ludovicus coronaretur, impetrari ab ordinibus Regni, ultra modum liberæ electionis conſervandæ ſtudioſis non poterat, illud jam olim a Pontifice flagitavit, ut ſi, ab obitu ſuo, Strigonienſis, cui jus Reges coronandi proprium eſt, ſedes vacaret; aut ejus Antiſtes id abnueret; liberum eſſet Colocenſi aut cuicunque alteri, id officium peragere; omnis autem alterius quam filii ſui, inauguratio irrita declararetur. a) Tum vero ut periculum, ſi quod ab exteris Principibus immineret, facilius propulſari poſſet, opportuna cum Polonis, Bohemis, & Auſtriacis percuſſa ſunt fœdera, qui opem, ſi res poſceret, filio ferrent. Denique Maria Neapolitana Stephano filiorum

a) Literas de hoc Joannis XX. Papæ ad Colocenſem Archiepiſcopum An. MCCCXXXIII. datas Vide in Annal. Reg. Hung. ad an. cit.

Digitized by Google

CAROLUS I.

tertio deſtinata, Ludovico primogenito Margaretam Caroli IV. Imperatoris filiam per ſolennes tabulas deſpondit. A)

Cur alienati a Carolo Hungari?

IX. Non de nihilo fuit hæc Caroli ſollicitudo, alienati enim ab eo aliquantum erant Hungari: querebantur: Carolum adverſus datam inaugurationis tempore fidem, Eccleſias non minus, quam gentem univerſam veteribus ſpoliare privilegiis: abolitum Comitiorum generalium uſum: Nobiles indicta cauſa, citra uſitatas judiciorum ſolennitates, magiſtratibus dejici; quin & capite ac fortunis mulctari: a Prælatis in ipſo beneficii aditu immenſam auri vim per miniſtros regios exigi: ad hæc annis ſingulis Archi-Epiſcopos quidem ad ducentas; Epiſcopos ad quinquaginta auri marcas Xeniorum titulo Regi pendendas compelli. Viros

A) Hac mature ſublata, Eliſabetham Stephani Bosniæ Bani, qui in convertendis ad Catholicam fidem graſſantibus tum in Bosnia hæreticis ſedulam ſub Carolo Rege navarat operam, filiam duxit Ludovicus.

Digitized by Google

ros profanos in bonis Eccleſiaſticis XXX annorum præſcriptione firmari: cum ex adverſo loca Deo dicata neque centenaria poſſeſſione tuta eſſent; niſi originarias fundationum privilegiorumque ſuorum litteras in judicio proferant, quæ tamen maxima parte exuſtis ſub Bela IV. per Tartaros tabulariis, interierint; aut malevolorum fraude ſubducta fuerint. Prælatorum ad hæc vita functorum facultates omnes nullo diſcrimine ita avare per fiſcum diripi, ut vix quidquam humando cum dignitate corpori ſuperſit. Denique alienum a ſacri ordinis ſanctitate contendebant, Antiſtites contra quosvis etiam Chriſtianos hoſtes ad faciendam militiam compelli: ex qua Prælatorum ab Eccleſiis abſentia non levia ſequerentur incommoda. Hæc fere ſunt quæ Benedicto XII. Pontifici ſubmiſſa fuere: A) qui communicato accuſationum libello Regem ad ſequenda ſanctiſſimorum deceſſorum in regenda Republica veſtigia blanda oratione cohortatus, malo remedium attuliſſe viſus fuit,

CAROLUS I.

A) Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCXXXIX.

CAROLUS I.

fuit, nihil enim poſtea querelarum eſt auditum.

Quomodo inſtaurata res monetaria?

X. Ceterum multa erant Caroli merita. Præter rei heraldicæ uſum paulo accuratius hoc tempore obſervatum, rem monetariam ad priſtinam probitatem reſtitutam Carolo noſtro debemus. Poſtremo vitæ ſuæ anno difficile id negotium diligenter ſuſcepit. A temporibus Belæ I. Regis enatis, ut priore parte explicatum eſt, perſæpe turbis, ac ærarii præfectorum avaritia & fraude multum a priſtina probitate æs Hungaricum deflexerat. Ad hæc a morte Andreæ III. decennio prope tumultibus inteſtinis jactata Hungaria, magna ſcopia æris externi ſane quam profligati in Regnum irrepſerat. Ut itaque jam tum celeberrimæ pecuniæ Hungaricæ honori conſuleret Carolus, veteribus Hungaricis, Viennenſibus item ac Bohemicis denariis antiquatis, novos argenteos cudi præcepit, quorum tres exauctoratis quatuor æquivalerent, tum vero nec plures, nec pauciores ſenis groſſum unum: nonaginta autem florenum

A)

Digitized by Google

CAROLUS I.

A) auri valore ſuo exæquarent. Ut denarios, ita groſſos etiam Carolinos multum hodiernis æris probitate præſtitiſſe vel oculo judice conſtat. Ludovicus Patrem egregie æmulatus, introductam eam monetæ cudendæ rationem ſancte retinuit; ejus ætate quinquaginta groſſi marcam argenti efficiebant. B) Deceſſores Reges non ita religioſe Caroli veſtigiis inſtitere, certe Sigis-

A) Florenus auri, qui hodie ducatus vel aureus audit, primum omnium florentiæ circa A. MCCLII. e puriſſimo auro, atque adeo flore cudi cepit, unde & floreni nomen accepit. Parti adverſæ D. Joannes Bapt.: averſæ lilium inſcribi ſolebat. Atque hac forma, ea ætate, plures Europæ Reges aureos ſuos inſignivere; quin principio Florentiæ cudi curavere, ut adeo Caroli & Ludovici aureos, quibus unicum lilium grandius inſcriptum eſt, Florentiæ cuſos fuiſſe pro certo habendum ſit. Quod aureæ monetæ genus a Carolo primum in Hungariam introductum videtur. Conſule Villan. in Hiſtor. Florent. Lib. VI. Cap. 53.

B) Eruitur id ex litteris Nicolai Strig. Antiſtitis apud Péterfium. Concil. Hung. Tom. I. pag. 170. Marca vero monetaria Budenſis VIII. penſas ſive XVI. Loth. appendebat.

Digitized by Google

CAROLUS I.

giſmundus & denariorum, & groſſorum molem ita diminuit: ut centum jam denariis florenus, cum aureus; tum argenteus redimeretur. A)

Quando obiit Carolus?

XI. Poſtremæ hæ fuere Caroli curæ: Eodem anno MCCCXLII. diuturnis podagræ doloribus fractus Viſſegradi XVII. Calend. Auguſti deceſſit, anno a coronatione ſua XXXII. poſtquam alterum ſupra quadrageſimum in Hungaria exegiſſet. Peractis in æde Parochiali Viſſegradi lugubribus miſſarum ſolenniis, corpus exanime ſecundo danubio Budam devectum; hic rurſum repetitis piacularibus ſacrificiis, Albam Regiam delatum fuit, ac in Principe urbis æde ab eodem olim inſtaurata pone altare majus magnifico tumulo conditum. Chanadinus Strigonienſis Archiepiſcopus de laudibus defuncti Regis ad confertam omnium ordinum multitudinem peroravit. Triceſimo denique ab obitu die univerſa familia Regia

A) Decret. III. Sigiſmundi Anno MCCCCV. Artic. VII.

gia Antiſtitibus, & Proceribus, quos Regina Mater per litteras evocarat, præſentibus, integratis exequiis, finis quidem næniis; non item qui Regnum univerſum occupaverat luctui impoſitus: adeo nempe ſibi ereptum Hungari deplorabant Carolum, quem tam inviti olim ad ſolium admiſerant.

CAROLUS I.

XII. Et dignus ſane erat Carolus, cui ſinceris parentarent omnes lacrimis. Equidem religione, æquitate, prudentia ceterisque Rege dignis virtutibus deceſſorum ſuorum gloriam feliciter æmulatus fuit. Magni certe id exiſtimandum eſt, quod cum Regnum ſtudiis partium diſtractum, ſceleſtorum hominum ambitione, & avaritia fœdum in modum direptum, exhauſtumque accepiſſet; brevi tempore ad tranquillitatem compoſitum, abſterſo ſquallore, florens auctumque ſucceſſori ſuo moderandum reliquerit: corruptos Ladislai improbitate, ac ipſa impunitate inveteratos popularium multorum mores ad priſtinam legum obſervantiam revocarit: violata interregni tempore cum comunia reipublicæ, tum pri-

Quibus conſpicuus laudibus?

Digitized by Google

CAROLUS I.

privata plurimorum jura, facultates per ſummum ſcelus abſtractas, ex iniquis manibus vindicatas, legitimis poſſeſſoribus reſtituerit. Sed hæc inſignis illius pietatis, ac ad æternam ſuis procurandam felicitatem ſtudii fuere præmia: Ei enim debet Hungaria, quod exterminatis penitus ethnicis ſuperſtitionibus, Cumani, Tartari, Ismaelitæ, & ceteri, qui Ladislai ætate irrepſerant, populi JEſu Chriſti fidem ſint amplexi, Bosnia item & Bulgaria utraque Sacræ Coronæ Hungaricæ ſubjecta, non mediocriter ab erroribus repurgata. Quæ Caroli decora abunde eluerunt crimen, ſi quo ſe obſtrinxit, cum Aviæ Mariæ Hungaræ Stephani V. filiæ artibus, legitimo Regi Andreæ III. Regnum ereptum ibat. A)

LUDO-

A) Sunt ſane, qui tradant, Itali cujusdam opera, incertum tamen cujus conſilio, cultellum, quo Andreas III. uti conſueverat veneno illitum mortem Regi acceleraſſe: alii autem veneneto cultello venam eidem inciſam ferunt. Quod ſi, quacunque demum ratione, conſcio Carolo noſtro, fuit Andreæ III. Regi mors allata, non mirum eſt ejus familiam

LUDOVICUS I. M. REX XXVII.

A. C. MCCCXLII.

LUDOVICUS I. M.

Quam pronis ſuorum ſtudiis inauguratus?

I.

Quam ſincera grataque memoria Caroli Regis in patriam merita proſequerentur Hungari, luculentiſſimo eſſe poteſt argumento accelerata illa Ludovici filii electio & inauguratio: durante enim adhuc luctu ſexto ab obitu patris die, qui XXI. Julii fuit, Chanadinus Strigonienſis Archiepiſcopus Ludovico ſeptimum ſupra decimum inchoanti annum diadema impoſuit, idque tanta omnium ordinum conſenſione & lætitia, quam nunquam ante eum diem in Hungaria obſervatam Scriptores patrii prodidere. Hæc nempe virtutis Parentum merces eſt, ut vel poſt mortem amentur in filiis. Quanquam etiam raræ admodum ado-

miliam in filiis defeciſſe: adeo nempe cœlum ſancta eſſe vult coronata ſummorum Imperantium capita; ut eos violaſſe, vix cuiquam impune abierit.

LUDOVICUS I. M.

adoleſcentis nobiliſſimi corporis animique dotes præſentium omnium oculos afficiebant, quædam tamen futuræ hoc rege felicitatis, quaſi divinitus inſpirata expectatio omnes occupaverat: quam quidem non æquaſſe modo; verum etiam quam longiſſime ſupergreſſum Ludovicum magna illa, quæ geſſit, abunde loquuntur. Nam cum quidquid ſanctum excellensque in ſanctiſſimis Hungariæ, Poloniæ, Galliæ, Auſtriæque, Principibus A) aliquando fuit, in eum unum rara felicitate velut transfuſum eſſet, deceſſoribus ſuis omnibus gloria potentiaque anteivit: ſucceſſoribus autem exemplum reliquit, ad quod ipſi reſpicerent identidem. Hungarici Regni amplitudo & Majeſtas nunquam ante Ludovicum ad eum apicem aſcenderat, unde ab ejus exceſſu poſtquam inclinare cepit, nulla unquam arte eo reſtitui potuit. Ut adeo Ludovicus Magni appellationem domeſtico-

rum

A) Fuit Ludovicus e regia Andegavenſi Galliæ Regum ſtirpe Matre Polona, Avia Auſtriaca, Proavia Hungara genitus.

Digitized by Google

rum & exterorum ſcriptorum teſtimonio jure quam optimo ſit conſecutus. Neque illud hoc loco tacendum, Ludovicum noſtrum Regni ſui felicitatem magna ex parte pientiſſimæ ac præſtantiſſimæ ſuæ Matris Eliſabethæ Polonæ inſtitutioni acceptam debere, quæ, ut erat excellenti ingenio, prudentia ac pietate prædita, non modo adoleſcentiam ejus opportunis monitis moderata eſt, verum etiam adultiorem jam per octo & triginta annos, quibus ſuperſtes vixit, ſapientiſſimis ſuis conſiliis obtemperantem habuit. A) Adeo nempe a proba Parentum inſtitutione filiorum futura vitæ ratio pendet.

LUDOVICUS I. M.

II. Non multo poſt inaugurationem tempore, quantus olim belli pacisque ſtudiis evaſurus eſſet palam fecit. Saxones Daciæ incolæ per eam Regis adoleſcentiam in ſpem libertatis erecti, conſuetum quæſtoribus Regiis vectigal denegarant, ad eandem-

Regni ſui initio quomodo incla-ruit?

A) Obiit Religioſiſſima Mulier Eliſabetha A. C. MCCCLXXX. vid. Annal. Reg. Hung. ad hunc an.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

demque, qua cæteri fruebantur Tranſilvani, immunitatem ſibi aſſerendam arma corripere non dubitarant. Ludovicus ea molimina in ipſo ortu præfocaturus in Procerum comitatu exercitum Tranſilvaniæ infundit, captisque uno impetu Saxonum oppidis, ſeditioſos abjectis armis clementiam implorantes rurſum in fidem recepit. Hujus ſive ſucceſſus, ſive clementiæ fama in vicinam delata Valachiam, Bazaradus, alio nomine Alexander, idem ille qui duodecim abhinc annis jugum Regis Hungariæ excuſſerat, gentis ſuæ principibus ſtipatus viris, in Tranſilvaniam ad Ludovicum venit, Regiisque pedibus ſupplex novo Regi fidei Sacramentum dixit.

Quid damni acceptum in Dalmatia?

III. Non perinde faventem ſibi in Croatia & Dalmatia fortunam expertus fuit Ludovicus: quamvis enim quorundam Dynaſtarum, nominatim Tininienſium ac Corbavienſium Comitum, tyrannidem illic affectantium arrogantiam junctis cum Stephano Bosniæ Bano, cujus poſtea filiam duxerat, viribus, armis fregerit, multaque loca

in

Digitized by Google

in fidem receperit, cavere tamen non potuit, quo minus Jadram, quæ pene ſola tum e maritimis urbibus parebat Hungaris, amitteret. Juvat rem paulo altius repetere, ut odiorum quibus poſtea Venetos exagitavit Ludovicus, cauſæ clarius cognoſcerentur. Ex quo tempore Andream Ludovici fratrem ducta Joanna Regina, Neapoli regnaturum intellexerant Veneti, magnopere Dalmatiæ ſuæ quam Hungarici eſſe juris non ignorabant, metuere ceperant quod, ſi Hungarus Rex terra; Neapolitanus claſſe rem agerent, ægre tantis viribus ab ſe reſiſti poſſe nec vano ominarentur. Id igitur agebant, ut priusquam Andreas Neapoli rerum plena cum poteſtate potiretur, adverſum omnes impetus dominatum ſuum in Dalmatia communirent. Itaque præter claſſem copioſam, quæ adriaticum mare cuſtodiret, cunctis maritimis urbibus valida impoſuere præſidia. Sola Jadra Hungaris addicta militem recipere detrectavit. Ergo hanc terra marique A. MCCCXLV. cinxere Veneti, obſidione in plures menſes producta. Adfuit laboranti LUDOVICUS I. M.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Jadræ per nuncios & litteras evocatus Ludovicus cum centum armatorum millibus; verum florentiſſimus iſte exercitus parum aut nihil obſeſſis attulit præſidii, partim Stephani Bosnenſis Bani & Latzkovicſii, quorum utrumque Veneti auro corruperant, perfidia; partim quod machinis ad oppugnationem neceſſariis, & navigiis careret Ludovicus: illæ quidem ad caſtella, quæ circum Jadram erexerant Veneti, diruenda fuere neceſſariæ: ſine his autem claſſis Veneta Hungarorum riſit conatus. Quare Ludovicus pluribus ſuorum millibus amiſſis re infecta æger animo diſceſſit, A) jamque tunc recuperandæ Dalmatiæ conſilia agitare cepit, id quod paulo ſerius effectum dedit. Jadra autem Hungarorum auxiliis deſtituta extrema urgente fame, Venetis deditionem, fecit.

Quam turbatæ res Neapoli?

IV. Interea temporis triſtiſſimi Neapoli afferebantur nuncii de Joannæ Reginæ odiis, qui-

A) Conſule Anonym. de Jadrenſi obſidione Lib. II.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

quibus conjugem ſuum Andream inſectari non ceſſabat: fomentum imperioſæ fœminæ ambitioni præbuit Robertus Rex Siciliæ avus, qui nimio in peſſimam neptem amori indulgens, morti proximus A) teſtamento caverat, ut Joanna, tametſi conjuge Andrea junior, continuo ab obitu ſuo Reginam ſe gereret, remque publicam pleno jure adminiſtraret: quin etiam in ejus verba Proceres Neapolitanos jurare coegerat; cum ex adverſo, nec ſine injuria ſtatuiſſet, ut Andreas non niſi ſecundo & viceſimo ætatis anno ſceptrum capeſſeret. Quæ res malorum omnium cauſa fuit: Joanna enim a morte Avi rerum omnium potita, Andream deſpicatui habuit, ab omnique arcuit adminiſtratione. Illius etiam conniventia factum, ut ſororem germanam Mariam poſthumam, quam Stephano Ludovici fratri Tranſilvaniæ Duci deſponſam diximus, Carolus Dyrrachii Dux raperet, obtentaque a Clemente VI. Pontifice diſpen-

A) Robertus Rex Siciliæ Caroli noſtri Hungariæ Regis Patruus obiit XIX. Januarii A. MCCCXLIII.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Quam atrox Andreæ cædes?

V. Pontifex toties jam de afferendo iis malis remedio interpellatus, demum ingratiis Joannæ, Andream ſublato ætatis obice, Neapolitani Regni Regem certis pactis prius obſtrictum A) appellavit, ac inaugurationem in diem VI. Septembris Anno MCCCXLV. fieri præcepit. At neque in hoc Joannam obſequentem habuit: illa enim communicatis cum Carolo Dyrrachino ſororis Mariæ Marito conſiliis, quemadmodum hactenus, ita deinceps quoque modis omnibus Andreæ coronationem impedire conſtituit. Andreas interea illatas ſibi contumelias tacitus concoquebat; at cum jam prope coronationis tempus adeſſe cerneret, præcoce nimium conſilio uſus, prægrande vexillum cum cippo in foro Neapolitano erigi juſſerat, quo mox a peracta

A) Cetera inter in id conſentire debuit Andreas, ut ſi absque hærede Conjux ejus Joanna obiret, Regnum Neapolitanum ad Mariam Joannæ ſororem ejusdemque hæredes tranſiret. Literas Clementis VI. Papæ vide apud Raynaldum ad Annum MCCCXLV.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

ſua inauguratione, refractarios omnes nullo diſcrimine ab ſe incluſum iri comminatus fuit; quæ res Joannæ ceteriſque conjuratis ad accelerandum parricidium occaſionem præbuit. Deſcripto jam facinoris perpetrandi modo. a) Averſam animi cauſa itur: die XVIII. Septembris venatui ab omnibus jucunde vacatur: reditur in arcem, cœnaturque opipare. A cœna Andreas cum conjuge cubitum ſe conferunt, dormitur tranquille. Sub mediam noctem conjurati, qui vicino in conclavi excubabant, Regem ſimulata cauſa e ſomno excitatum evocant. Ille nil mali ſuſpicatus e conclavi egreditur leniter amictus, quid ſe velint: rogat. At illi obſeratis ſine mora januis, ſolum & inermem adoleſcentem Regem adorti, diu multumque colluctantur: ad extremum quod neque Regina magnis licet clamoribus invocata, tametſi vigilaret optime: neque ullus aulicorum

 opem

a) Parricidii modum vide apud Dominicum de Gravina inter Scriptores Ital. Cl. Muratorii Tom. XII. ac in Annal. Reg. Hung. ad A. MCCCXLV.

LUDOVICUS I. M.

opem ferret, plurium robori ſuccubuit miſerandus Princeps, injectoque in collum, quod Joanna Regina eos ad uſus paraverat A) laqueo præfocatus, e feneſtra ſuſpenſus fuit. Patrato flagitio Regina nullo doloris edito ſigno, nulla pietate, ac ne ſepulturæ quidem honore corpus Mariti B) proſecuta, Neapolim diſceſſit. Hic autem non modo quæſtionem in ſicarios exerceri vetuit, verum etiam uterum adhuc ex Andrea gerens Ludovici Tarentini, quocum impudice prius conſueverat, nuptias aperte ambire cepit; id quod etiam, ſed ſerius aliquantum, a Pontifice impetravit. Quæ quidem mulieris præpoſtera agendi ratio ſatis erat Ludovico Regi, ut cædis illius, ut minimum, conſciam fuiſſe Joannam exiſtimaverit, c) qua etiam de cauſa

ſa

A) Pandulfus de Reg. Neap. Lib. V.

B) Corpus Regium diu in ſubjecto feneſtræ horto inſepultum Urſillus Minutulus Neapolit. Canonicus non ſine ſinceris populi lacrimis poſtea condidit.

c) Joannæ Reginæ a criminis ſe ſuſpicione pur,

pur,

ſa orabat Pontificem, ut exauctorata parum pudica fœmina, Neapolim germano ſuo Stephano Tranſilvaniæ Duci adjudicaret.

LUDOVICUS I. M.

VI. Cum Pontifex in habenda tam atroci accuſationi fide paulo difficilior, ac etiam Joannæ juſto faventior videretur, Ludovicus cædem chariſſimi fratris impunitam non relinquere certus, ipſe in Italiam trajicere conſtituit. Itaque a Januenſibus claſſem conducere parabat, Neapolim ſuas transvecturam copias: ſed quod cum Venetis, qui navigationem illam per Adriaticum facile prohibere poterant, pax nondum eſſet compoſita; neque aliam illi admitterent, quam quæ ſibi Jadræ, totiusque

Quomodo per Ludovicum vindicata.

---

purganti in hæc verba reſpondit Ludovicus: „ Impudica vita, quam jam pridem duxiſti, occupatum regnum, neglecta vindicta, vir alter ſuſceptus, & excuſatio ſubſequens necis viri tui probant noxiam te prorſus fuiſſe, proinde Deum immortalem ſcelerum vindicem ſupereſſe memineris. Vale. „ Apud Pandulfum loco cit. & in Annal. ad An. MCCCXLVII.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

que Dalmatiæ poſſeſſionem firmaret, quod Ludovicus abnuebat; iter illud tum adhæſit. At cum diutius vindictam diſſimulare nequiret, ac una ex Nicolao Konth de Hedervara, quem cum parte copiarum Hungaricarum eo præmiſerat, multos ab Joanna deficere accepiſſet, altero a cæde fratris anno terreſtri itinere exercitum Italiæ inſudit, Averſamque XVII. Januarii Anni MCCCXLVIII. feliciter appulit. Hic Ludovicum officii cauſa convenere cognati Andinæ ſtirpis Principes, qui omnes ea lege in gratiam accepti ſunt, ſi a facinoris ſuſpicione immunes eſſent. Conſulto id adjecerat: paulo enim poſt cum loco ipſo fraternæ cædis memoriam refricante, vehementius in vindictam exarſiſſet, Carolum Dyrrachii Ducem, ob præreptam non ſine dolo fratri ſuo Stephano ſponſam Mariam: impeditam de induſtria Andreæ Regis inaugurationem, ac denique parricidii perpetrati conſcientiam acrioribus verbis objurgatum e veſtigio in cuſtodiam abripi, dieque inſequente ſecuri percuti juſſit. Quæ quidem pœna etſi non injuſta, tamen quod

adeo

LUDOVICUS I. M.

adeo feſtinanter, nulloque reſpondendi relicto ſpatio cognato Principi A) dictata eſſet, apud multos ea propter invidia Ludovico fuit conflata. B) Peracta ea cæde ulterius progreſſus, Neapolim, unde non multo ante Joanna Regina cum novo conjuge Ludovico Tarentino profugerat, nullo negotio occupavit. Hic quæſtionibus in parricidas habitis, a Proceribus fidei ſacramentum pro Carolo Martello Andreæ fratris ex Joanna poſthumo exegit, quem paulo prius in Hungariam apud Aviam Eliſabetham educandum transmiſerat. Ipſe demum quod peſtis in Italia graſſari inciperet, Stephano Tranſilvaniæ Vaivoda cum valida Hungarorum manu Neapoli relicto, clam conſcenſa biremi, Adriaticum celerrime prætervectus, Junio menſe ejusdem anni MCCCXLVIII. in Dalmatiam primum, tum Budam incolumis pervenit.

VII.

A) Vide Genealog. Tab. III.

B) Quid Clemens Papa de cæde hac ſenſerit: lege Caput ſecundum ejus litterarum in Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCXLIX.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Quibus pactis lites cum Joanna compoſitæ.

VII. Abſente Ludovico Neapolitani rurſum ad Joannam redire cèperant; multos enim Caroli Dyrrachini cædes offenderat, ac una Stephani Vayvodæ inconſulta ſeveritas, qui præterquam quod gravia imperaret tributa, paulo durius quam Italorum ferret indoles, agebat, cum gente recens in fidem accepta. Joanna cognitis Neapolitanorum in ſe ſtudiis, pecunia, quam ex vendita Pontifici Avenione collegerat, claſſe comparata, Neapolim redux, multas civitates recuperavit. Oppoſuit ſe illi Stephanus Vayvoda, qui Hungaro milite ex præſidiis omnibus in unum contracto, prœliis aliquot victor feliciter rem Hungaricam aliquamdiu ſuſtinuit. Ludovicus de Reginæ Joannæ reditu ex ipſo Stephano Vayvoda celerrime edoctus, ut tuto per Adriaticum mare ſuppetias laborantibus ſuis ferre poſſet, inducias in octennium cum Venetis pepigit An. MCCCXLVIII. Hæſit dein aliquamdiu, dum Pontificis mentem cognoſceret: petierat autem, ab eo, ut præter Neapolitani Regni ſucceſſionem,

A)

Digitized by Google

A) ſineret inſuper Stephano fratri Tranſilvaniæ Duci veterem illam ſponſam Caroli Dyrachini cæſi viduam Mariam, ſublato ſanguinis obice, copulari. B) At cum utrumque negari accepiſſet, anno inſequente conſcenſis in Dalmatia navigiis, bona Venetorum venia Adriaticum emenſus, in Apuliam cum X. Equitum millibus transfretavit: nec mora totum rurſum Neapolitanum Regnum ad Ludovicum devolutum fuit demta Neapolitana urbe. Hanc cum acerrima premeret obſidione, Legati Pontificii opera placatus, demum ad pacem applicuit animum, his legibus: Pontifex de Joanna cognoſceret: Regnum illi ereptum Ludovico traderet, ſi cædis ream comperiſſet; ſi contra inſontem; regnare ſineret: Illa tamen pro factis in geminum

bellum

A) Mortuus nempe erat Carolus Martellus Andreæ Poſthumus Regni Neapolitani hæres eodem Anno MCCCXLIX.

B) Stephano ſubinde An. MCCCL. conjux data Margareta Ludovici Bavari Romanorum Regis filia, ex qua is filium ſuſtulit Joannem Dalmatiæ & Croatiæ Ducem, in tenera ætate ſublatum.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

bellum expenſis CCC. aureorum nummum millia Ludovico penderet. Interea dum Pontifex Joannæ cauſam examinat Avenione, Ludovicus Romam pietatis cauſa deceſſit, ubi ſumma cum honoris ſignificatione acceptus ea virtutis, ſapientiæ & in omnes humanitatis edidit ſpecimina, ut omne genus hominum in ſui admirationem amoremque attraxerit, tacite Hungaris talem tantumque Regem invidentium. Ille vero IV. aureorum millibus donata D. Petri Baſilica, *Romanorum Domini* titulo decoratus in Hungariam rediit. A) Ubi abſolutam a Pontifice Joannam ex Legatorum litteris accepiſſet, alienam rebus ſuis ſententiam moderate prorſus tulit, retentoque ſibi Salernitano Principatu & Honore Montis S. Angeli, quem Pater ejus Carolus poſſederat, univerſum Regnum Joannæ ſine mora reſtitui juſſit, Hungarumque militem e præſidiis deduci. Ut autem ſui victorem animum declararet, ſummam illam CCC. millium aureorum ultro Joannæ condona-

A) Chronic. Hung. Part. III. Cap. XXIII.

donavit: quæ liberalitas maximis poſtea per Europam celebrata fuit laudibus. Denique Tarentinos, & Dyrrachinos Regii ſanguinis Principes, quos olim Neapoli comprehenſos in Hungariam adduxerat, ac ad eum diem Viſſegradi honeſta in cuſtodia detinuerat, libertati reſtituit, poſtquam jurejurando caviſſent, ſi Joanna improlis decederet, ſe regnum Neapolitanum Ludovico, ad quem præ ceteris jus ſpectabat, permiſſuros. Sic tum An. MCCCLII. lites Neapolitanæ ſunt ſopitæ, ſed quæ rurſus recruduere, poſtquam improlis fœmina Joanna, excluſo Ludovico Hungaro, jura Neapolitana in exteros transferre conata fuit. Id quod impotenti mulieri funeſtum conflavit exitium.

LUDOVICUS I. M.

VIII. Bellum Neapolitanum mox Lichuanicum excepit. An. MCCCLI. ſuſceptum. Lithuani, nominis tum Chriſtiani hoſtes, Ruſſiam Rubram Sacræ Coronæ Hungaricæ obnoxiam, crebris incurſionibus infeſtabant: quin adeo faventem nacti fuere fortunam, ut non mediocrem ejus par-

Quid negotii Ruſſiæ cauſa cum Lithuanis?

Digitized by Google

[redacted]
LUDOVICUS I. M.

tem ac nominatim Lodomeriam armis ſubactam in ſuam redegerint ditionem: unde poſtea per Sandomirienſem provinciam liberius in Poloniam graſſabantur, Ludovicus hoſtium audaciæ modum ponere, & amiſſas Provincias vindicare certus, bellum in Lithuaniam transferre ſuisque auſpiciis gerere decrevit. Itaque conſcripto ex Hungaris & exteris, qui certatim ad Victricia ejus ſigna confluebant, ſtipendio conductis exercitu, acceleratis itineribus Ruſſiam emenſus, Lithuanos juſto prælio aggreditur, poſt acre certamen cæſis profligatisque hoſtibus, inſigni victoria potitus ipſum Lithuanorum Ducem in poteſtatem redigit, quem non ante, quam poſtquam fidelitatem & obedientiam ſibi profeſſus fuit, libertati reſtituit. A) Fructus victoriæ fuit:

Lodo-

A.) Audi de bello hoc loquentem Joannem Archidiaconum de Kikelleö Regis Ludovici Notarium. Cap. XXIX. *Ceterum* inquit ille, *contra Lithuanos Chriſtianis & maxime* Regno suo Rusciæ *inſultantes, perſonaliter cum exercitu copioſo & militia ſua propria, nec non aliis nationibus, ad eum confluentibus*

Lodomeria pluresque aliæ ditiones Ruſſiæ S. Coronæ Hungaricæ reſtitutæ, ſecuritasque vicinæ Poloniæ reddita. Ex eo tempore Lithuani Ludovicum aperto bello petere minime auſi ſunt usque ad Annum MCCCLXXVII., quo tempore jam Poloniæ ſimul Rex fuit Ludovicus: verum nihilo melior fortuna Lithuanis arriſit, rurſus enim a Victore Ludovico bello fracti finibusque Ruſſicis ſunt exacti. A)

LUDOVICUS I. M.

E 2 IX.

tibus proficiſcens, terris ipſorum ſeu tenuitis in magna parte devaſtatis, Duce eorum capto; ſed in continenti, ſibi promiſſionem de fidelitate & obedientia faciente, liberato, feliciter ad Hungariam eſt reverſus.

A) Huc pertinent ea, quæ idem Joannes Archidiaconus inſequente Cap. XXX. refert: *Poſtea bina vice cum validâ gente ſua, etiam extraneâ ad Regnum* Ruſciæ Sacræ Coronæ Hungariæ Subjectum *pro defenſione ejusdem Regni contra Lithuanos eſt profectus, & fugatis hoſtibus, ac fretus Victoria, potentes viros Petrum Banum primo; nec non Venerabilem in Chriſto Patrem Dominum Emericum* lege *Michaëlem Epiſcopum Agrienſem, ac Georgium Zudar, conſequenter fratres ejus, &*

poſt

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Quid item cum Tartaris?

IX. Poſt devictos primo bello Lithuanos, Tartari adhuc reſtabant, qui poſtquam magnam Podoliæ partem variis temporibus ſui juris fecerant, dominatum ſuum in dies occidentem ac meridiem verſus proferebant; ut adeo, niſi frangerentur, continuum

poſt hæc Emericum Bubek, ac poſt eum Joannem de Capol, ad regendum ipſum Regnum Wayvodas ſeu Capitaneos præfecit, qui Regnum prædictum bene & laudabiliter defenſantes ſub titulo Sacræ Coronæ *& regimine ejusdem Domini Regis conſervaverunt.* Poloni ſcriptores, nominatim Dugoſſus Lib. VI, fatentur circa Annum MCCCLXXVII. per Hungaros Capitaneos a Ludovico M. Conſtitutos gubernata fuiſſe ſequentia Ruſſiæ Podoliæque loca præcipua: *Lembergam* ſeu Leopolim, *Premisliam*, *Galliciam*, *Trembowliam*, *Sniatyn*, *Jaroslaviam*, *Grodek*, *Olesko*, *Lopatyn* & *Caminecum*. At enim ſtudio partium abrepti in eo labuntur, quod nonniſi poſt An. MCCCLXX. quo Rex Poloniæ coronatus fuit Ludovicus, Ruſſiam, & Podoliam a Corona Poloniæ avulſam Hungariæque adjectam querulentur: diſſimulant autem ſtudioſe, regna hæc Regibus Hungariæ ac ipſi Ludovico M. usque ad An. MCCCLII. paruiſſe, quo ut §. XIX. explicavimus, Caſimiro ad tempus conceſſa ſunt; non item juribus Poloniæ tranſcripta.

Digitized by Google

tinuum ab eis reliquæ Podoliæ, Ruſſiæ, Cumaniæ, ac ipſis etiam Tranſilvanis Hungariæ partibus periculum immineret. Gens inquies prætεritisque ſucceſſibus animata, nec quidquam Lithuanorum fœderatorum recenti clade abſterrita, graviſſimum bellum apparabat. Ludovicus in omnia hoſtium ſuorum Conſilia intentus, poſtquam de Tartarorum apparatu per Andream de Latzk Wayvodam Tranſilvaniæ, ceterosque limitum Capitaneos tempeſtive edoctus fuiſſet, præoccupandos cenſuit hoſtes. Itaque non expectato hoſtium adventu, Andream Tranſilvaniæ Wayvodam cum XL. millibus Hungarorum, & delectis Siculicæ gentis copiis primo vere An. MCCCLII. in Podoliam proficiſci, Tartarisque in limitibus jubet occurrere. Andreas Wayvoda, nulla interpoſita mora citatiſſimis itineribus in Podoliam penetrat, Tartarosque irruptionem parantes offendit: poſt brevem feſſo militi conceſſam quietem, Wayvoda, ordinata ex ritu militari acie, ſuos etſi numero inferiores, in hoſtem ducit; continuo exoritur pugna atrox & cruenta: Tartari

LUDOVICUS I. M.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

poſt diuturnum certamen amiſſo Duce ſuo, Athalamos dicto, Hungarorum ex diſciplina militari pugnantium impetum non ferentes, ad extremum terga vertere: inſtabant fugientibus a tergo noſtri: tantaque fuit eo die Tartarorum cædes, ut in iis trucidandis Hungaro Siculoque militi vires, & arcubus ſagittæ & ferro acies deficerent. a) Cæſis profligatisque, qui cladi ſupererant hunc in modum barbaris, memorabili

a) Matth. Villanus Lib. II. Cap. LXXII... De Victoria hac ita Joannes Archidiaconus Cap. VI. „ Rex inquit ſtrenuum & bellicoſum Virum Andream filium Latzk Wayvodam Tranſilvanum contra ipſos Tartaros cum ſiculis nobilibus & valida „ gente deſtinavit: qui terram in qua habitabant, „ potenter ſubintrantes cum Principe eorum nomine Athlamos, ad reſiſtendum eisdem cum magno „ exercitu in Campo obviantes, debellavit, & „ ipſum Principem eorum decapitavit, ac multa „ Banderia & captivos Regiæ Majeſtati in Wiſſegrad transmiſit. Poſt hæc etiam Siculi Tartaros „ ſæpius invaſerunt, & cum magna præda ad propria redierunt. Qui autem ex ipſis Tartaris remanſerunt, ad partes maritimas longe diſtantes „ ad alios Tartaros fugerunt. „

bili ad poſteros victoria potitus Andreas Wayvoda, recuperata juribusque S. Coronæ reſtituta Podolia, bellum, trajecto Boriſthene, in Tartariam ipſam transferre parabat, ſed enim annonæ inopia in deſerta incultaque ea regione abſterritus, cœpto deſiſtere debuit. Abruptum ea propter bellum biennio poſt An. MCCCLIV. inſtauravit Ludovicus ipſe, adducto ſecum CC. millium exercitu. Tanti Regis adventu perculſus, nupernæque ſuorum cladis conſcius adoleſcens adhuc Tartarorum Dux, petita ac impetrata fide publica, præcipuis ſuorum comitantibus in Ludovici Regis caſtra prope Boriſthenem ſe contulit, ubi clientelam tributumque annuum Hungaro Regi promittens, in fidem receptus fuit. Hac opportunitate uſus Ludovicus, cui religionis Chriſtianæ propagatio, æternaque ſubditorum felicitas imprimis cordi fuit, blandis cohortationibus adeo flexit adoleſcentis Ducis animum, ut is Religionem Chriſtianam ſe amplexurum polliceretur, ſi modo idonei viri in Tartariam mitterentur, ex quibus S. Evangelii placita LUDOVICUS I. M.

LUDOVICUS I. M.

ipſe ac populares ſui poſſent condiſcere. Ludovicus ea Tartari Ducis animi comparatione lætus, ictis ritu publico fœderibus, bellum priusquam cæptum erat, pace concluſit. Excedentem cum ſuis Ludovicum Regem Dux Tartarus honoris cauſa ad Regni Hungarici limites Comitatus, rurſus clientelari fide eidem ſe obſtrinxit. A) Atque hunc in modum Ludovicus cæſis profligatisque Lithuanis e Ruſſia, & ejectis ex Podolia Tartaris, totius Ruſſiæ Rubræ, & quæ hanc complectebatur Podoliæ ad Boriſthenem usque Dominus evaſit, Tartarosque ipſos Hungariæ tributarios fecit.

Quanta Regis virtus bello Valachico?

X. Quam inſignis autem Ludovici eſſet in periculis longe graviſſimis animi præſentia, & fortitudo, bello Valachico patefactum fuit. Peſſima gens cum erroribus Græcorum execrandum una in Latinos odium, ac in legitimos Principes ſuos perfidiam condidicerat. Itaque inquies ille populus

A) Idem Villanus Lib. IV. Cap. V.

Digitized by Google

pulus nulla data cauſa, a jurata toties ſacræ coronæ obedientia, totiesque violata per ea tempora iterum ſe ſubduxerat. Præerat tum Walachis Wayvodæ nomine Layk ſive Ladislaus, qui Bulgarorum pariter rebellium, quin & Turcarum ſocietate tumidus jugum Hungaricum ſe excuſſurum exiſtimabat. Ludovicus inveteratam perfidiam uno bello frangere, rebellesque ad obedientiam revocare certus, geminum An. MCCCLXXI. eo direxit exercitum: Alterum Duce Nicolao Wayvoda Tranſilvaniæ, per Siculorum fines illuc juſſit irrumpere eo plane tempore, quo ipſe longo itinere Bulgariam tum S. Coronæ ſubditam emenſus, alio ex latere nil tale opinantes Valachos aggreſſurus erat. Indicta utrinque profectione, favebat principio fortuna Wayvodæ, victisque decretorio prælio hoſtibus, præcipua aliquot loca & arces ſub jugum miſerat; at ubi parum caute per anguſta nemorum fugientes inſequitur, in paratas ſibi inſidias præcipitatus, ab irrumpentibus undique Valachorum fortiſſimis indagine clauſus, poſt difficile iniquiſſimo plane lo-

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M. co, certamen, vitam, & copiarum partem maximam infelix amiſit. Miſerandæ cladis nuncius ad Ludovicum in Bulgaria agentem delatus, ſuapte vindictam paranti novos ad accelerandam profectionem adjecit ſtimulos. Verum plena res erat periculi, quod Valachi nuperna victoria animati, incredibili celeritate emenſi regionem, adverſam danubii ripam, ad quam Ludovicus ſuos e Bulgaria traducere parabát, magno numero occupaverant. Nil hoc territus Rex, belli periculis a pueritia jam aſſuetus, fortiſſimum quemque militem navibus imponit, quibus ut pugnandi ardorem inſpiraret, primos inter ipſe cum Nicolao de Gara Bano Machovienſi vaſtiſſimum flumen ſuperat, hoſtem quaſi jam certa victoria exultantem aliquamdiu ſuſtinet, ſequentique militi in ripam exſcendendi ſpatium facit: ubi copiarum pars in adverſam ripam traducta fuiſſet, redintegrato prælio internecina clade plerique cæſi ſunt, paucis fuga elapſis. A) Domiti tanto

A) Fortaſſe hæc fuit illa victoria, quam Divæ Virginis Deiparæ ope de Turcis relatam Cellenſium An-

Digitized by Google

ea cum periculo rebelles, ne jugum aliquando excuterent, Ludovicus ſapiente ſane conſilio, per Anglos peritiſſimos ea ætate Architectos Severinenſis urbis mœnia inſtaurari juſſit, validoque ad tuendam regionem relicto præſidio, triumphans in Hungariam rediit. A) LUDOVICUS I. M.

XI.

Annales meminere. Quid enim prohibet Valachos, quod alias etiam ab iis factum eſt, Tartaros & Turcas jam Europam infeſtantes in belli ſocietatem evocaſſe? Neque enim uſpiam majore cum diſcrimine Ludovicum dimicaſſe; nec cum Turcis ſeorſim aliquando congreſſum, Annales noſtri meminere. Certum autem eſt Turcas ſociis Valachis in Tranſilvaniæ fines irrumpere ſolitos, nec raro ingenti cum clade a fortiſſima Siculorum gente profligatos fuiſſe. Cui rei a diplomatibus etiam robur accedit. Turcas id temporis fines Hungarici Regni laceſſere cepiſſe, colligi etiam poteſt ex literis Gregorii XI. Papæ die XXIII. Martii A. MCCCLXXIII. ad Strigonienſem Archiepiſcopum datis: in quibus ait *Turcas a non longis temporibus, præſertim a XX. menſibus citra, - - terras Romaniæ, Bulgariæ & Regnum Raſciæ - - - continuatis hoſtilitatibus invaſiſſe.*

A) *Tunc*, inquit Joannes Archidiaconus, Rex ibidem Caſtrum Zewrin prima vice, & poſt aliquot anno-

LUDOVICUS I. M.

Quæ origo primi belli Veneti?

XI. Multo jam prius, quam Valachi vincerentur, primum cum Venetis bellum terminatum fuit, ut tamen utrumque in conſpectu eſſet, conſulto huc rejecimus. Ejus cauſas paulo ſuperius ex tranſitu inſinuavimus. Jam tum, cum Andreæ fratri ſuo odiis Joannæ conjugis exagitato opem ferre vellet Ludovicus, ægre tulit, quod per Adriaticum Neapolim trajicere non poſſet: id ipſum in mora fuit, quod ad vindicandam, quæ brevi ſecuta eſt, Andreæ cædem tam ſero in Italiam terreſtri itinere abierit. Nam cum Veneti totam maritimam Dalmatiæ oram in poteſtate haberent, citra eorum gratiam nulla ſuſcipi potuit navigatio; benevolentia autem Venetorum, & Navigiis, quæ ipſi libenter daturi erant, uti abnuebat Ludovicus, ne eo beneficio ſe ſe nobi-

annorum curricula caſtrum in Braſſo fortiſſimum Therch vocatum circa terminos transalpinos ædificavit, gente armata Brigantiis & Baleſtrariis Anglicis cuſtodiam Caſtri muniendo, in poteſtate ſua reſervavit. Cap. XXXVIII. Braſſo Hungaris, Germanis Cronſtatt, Latinis Corona elegans eſt hodie Civitas in Tranſilvaniæ limitibus ſita, Walachiæ proxima.

Digitized by Google

nobiliſſimæ Reipublicæ obligaret, nequiretque poſtea, quæ dudum jam animo premebat, recuperandæ Dalmatiæ conſilia executioni dare. Quanquam altero bello Neapolitano, An. MCCCL. cum expeditio moram non pateretur, coactus fuit inducias cum Venetis pangere, atque ſic exercitui ſuo liberum per Adriam commeatum paciſci. Cum autem in Italia altero hoc bello implicitus ageret, Januenſes & Paduani Ludovicum ad fœdus contra Venetos ineundum ſollicitabant: & neque expectato illius in Hungariam reditu, Januenſium claſſis in Dalmatiam penetraverat, acceptisque e ditione Hungarica annona, & militum ſubſidiis, Venetos laceſſere ceperat. Ludovicus interea Budam reverſus, quod inducias cum Venetis ut diximus, fecerat, a bello abſtinuit: opportunum nihilominus id rebus ſuis tempus ratus, miſſo Venetias oratore, Andream de Dandulo Venetorum Ducem admonuit, ut quoniam Dalmatia ad jus S. Coronæ Hungaricæ olim pertinuerat, eam ſine mora cum omnibus urbibus inſulisque reſtitueret; ſecus ſibi neceſſi- LUDOVICUS I. M.

neceſſi-

LUDOVICUS I. M.

oppugnatio erat. Veneti geminis exercitibus undique concluſi, cum & in Dalmatia & in Italia parum proſpera uterentur fortuna, Ludovicum ad Tarviſii mœnia hærentem per Legatos convenere, oblatoque Spalato & Tragurio pacem petiere. At nihil a victore tum impetratum, qui nullam niſi, quæ ſibi Dalmatiam redderet, pacem admittebat. Igitur continuatum in annum ſequentem bellum, tam propitia Ludovico fortuna; ut Jadra, Spalato, Tragurio, Sibenico ceteriſque celebrioribus Dalmatiæ urbibus, partim vi, partim deditione captis, maxima Dalmatiæ portio in Hungarorum conceſſerit poteſtatem.

Qua pace terminatum?

XIII. Ea Dalmatiæ, & inſuper Tarviſinæ Marchiæ jactura commoti Veneti, ut ultimum a Republica ſua, ſi porro bellum proſequerentur, diſcrimen averterent, pacem rurſum flagitavere: verum æquo duriorem experti ſunt Ludovicum. Itaque ad Innocentium VI. Pontificem in iis rerum ſuarum anguſtiis confugere, oravereque, ut ſuas apud Ludovicum partes interponeret.

ret.

Digitized by Google

nt. Pontifex nobiliſſimæ Reipublicæ calamitate commotus, perlibenter patrocinium ſuſcepit, Hungarumque Regem, qua precibus, qua rationibus ad mitiora traduxit conſilia: ut pacem ſe daturum reciperet, iis tamen, quibus ipſi liberet, conditionibus; cujus arbitrio & æquitati eum ſe permiſiſſent Veneti, poſt mutua in Jadrenſi urbe colloquia demum die XXVIII. Nov. An. MCCCLVII. his legibus Ludovicum inter & Venetæ Reipublicæ oratores convenit: *Univerſa Dalmatia ſuis cum Inſulis Hungaris cederet. Veneti omni in eam jure ſe abdicarent, ac ipſo etiam Dalmatiæ titulo in poſterum abſtinerent.* a) LUDOVICUS I. M.

a) Ut quid ea pace Ludovicus obtinuerit, clarius intelligi poſſit, juvat huc partem tabularum adſcribere. „Nos *nempe Venetorum Legati*, haben-
„tes ad infra ſcripta plenam & liberam poteſta-
„tem, - - - effectualiter renunciamus de facto in
„manibus ſupra ſcripti Regis *Ludovici* ſuo & ſuc-
„ceſſorum Regum Hungariæ nomine toti Dalma-
„tiæ: a medietate ſcilicet Guarnarii, uſque ad
„confines Duracii, omnibus civitatibus, terris, ca-
„ſtris,

LUDOVICUS I. M. *Hungari Marchiam Tarviſinam Venetis redderent. A mutuis in Adriatico prædatio.*

„ſtris, inſulis, portubus & juribus, quæ habuiſſemus & tenuiſſemus, habebamus & tenebamus in eisdem quoquomodo, & ſpecialiter civitatis Nonæ, Jadræ, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spalati, Ragusii in terra firma exiſtentibus: Item civitatibus & terris adjacentibus videlicet; Cherſo, Veglia, Arbo, Pago, Brachiæ, Leſinæ, Curſulæ cum Inſulis earundem, cum omnibus pertinentiis & utilitatibus earundem, ac titulis *Dalmatiæ & Croatiæ*, quibus uti conſueveramus, & totum ipſorum jus, & dominium, & proprietatem, ſi quas habuiſſemus, in ipſum Dominum Regem, & ſucceſſores ſuos ſponte & deliberate, & cum maturitate transferentes, renunciantes omni inſuper actioni, & omni juris & legis beneficio. - - - promittentes ſolenniter ſub vinculo Sacramenti, pro nobis & communi *nempe Reipublicæ* Venetorum, corporaliter præſtiti, de ipſa Dalmatia, civitatibus, terris, caſtris, locis, inſulis, juribus & titulis, ac ipſorum poſſeſſione ſeu dominio, nullo unquam tempore per nos vel alios nos intromittere, vel aliqualiter impedire usque ad confines antedictos. Obligantes nos omnes &c. „ Tabulas integras lege apud Lucium Lib. IV. Cap. XVII. pag. 227. editionis Viennenſis.

actionibus abſtineretur. Captivi bona fide utrinque liberi dimitterentur. Lites de limitibus aliquando orituras ſummus Pontifex cognoſceret, ac ex æquitate deciderer. Pacta hæc quo in perpetuum firma eſſent, illud conſtitutum, ut præcipui Venetæ Reipublicæ Senatores ſuo, ſucceſſorumque ſuorum nomine, ſolenni jurejurando ad conditiones ſervandas ſemet obligarent. Tabulas has ratas habuit Reſpublica, ſignavitque appoſitis eorum, qui Reipublicæ nomine jusjurandum nuncuparunt, nominibus die XXV. Februarii anni inſequentis. Glorioſiſſimam eam pacem Ludovico totique Hungariæ fuiſſe, facile quisque perſpicit: tota enim, qua patet, Dalmatia inde ab Iſtria Dyrrachium usque ſuis cum Inſulis ad Sacræ Coronæ dominationem poſtliminio rediit. Magna hinc virium, magna opum incrementa ſumſit res Hungarica, tot opulentarum urbium acceſſio-

LUDOVICUS I. M.

nenſis. Conſule item Sanutum in Vitis Ducum Venet. apud Cl. Muratorium Tom. XXII. a pag. 646. ac denique Annales Reg. Hung. ad An. MCCCLVIII.

[redacted]
LUDOVICUS I. M.

ceſſione puta; Nonæ, Jadræ, Scardonæ, Sibenici, Tragurii, Spalati, Raguſæ in continente; in Inſulis autem Cherſi, Vegliæ, Arbi, Pagi, Brachiæ, Leſinæ & Curſulæ. Noverat præterea Ludovicus uſitata maritimis in locis lucri compendia quærere. Sic cetera inter vetito privatis Dominis urbibusque Salis commercio, queſtum hunc Cameræ ſuæ adminiſtrandum commiſit: ſubinde Salem, quem ab Inſula Pago Pagenſem appellant, Ferrariam, Patavium & ad alia Italiæ loca transmittere parabat; verum id Veneti prohibere nitebantur, quod ſibi ſoli liberæ per Adriaticum navigationis jus eſſe ex veteri uſu contenderent. Atque hæc Reipublicæ interceſſio novorum in Ludovici animo odiorum ſemen alteriusque Veneti belli prima fuit occaſio.

[redacted]
Quæ fortuna belli ſecundi?

XIV. Ad negatum Salis Pagenſis commeatum, aliæ mox acceſſere cauſæ. Joanna Neapolitana prole carente, Ludovicus ne ejus Regni poſſeſſione excluderetur, ſollicitus, videbat Venetos, quamdiu Maris Adriatici Dominium obtinerent, multa

ſibi

ſibi contra eam expeditionem objecturos impedimenta, quod alioquin Dalmatiæ jacturam ægre ferrent, nollentque Ludovici potentiam Neapolitani Regni acceſſione augeri. Compererat præterea Ludovicus, Venetos Raſciæ Regi S. Coronæ rebelli & hoſti ſuo clam ſtudere, auxiliaque ſubmittere. Talia cogitantem ac ſiniſtra quæque de Venetis ſuſpicantem Ludovicum, per nuncios adiere Anconitani, ceterique Maris Adriatici accolæ, multisque adductis rationibus in Venetos concitare conati ſunt, ſperantes, fractis Hungarorum potentia nobiliſſimæ Reipublicæ viribus, liberam ſibi poſtea fore per Adriaticum navigationem. Poſt multam deliberationem induci denique ſe paſſus eſt Ludovicus, ad ineundum contra Venetos fœdus cum Patriarcha primum Aquilejenſi & Franciſco Patavii Regulo Anno MCCCLXXVI. cui mox Anconitani & Ligures ſeu Genuenſes acceſſere. Bellum ita partiri placuit: ut Ligures & Anconitani mari; Ludovicus cum ceteris fœderatis terra rem agerent. Biennium apparando bello impenſum; quod demum Anno

LUDOVICUS I. M.

LUDOVICUS I. M.

no MCCCLXXVIII. erupit. Favebat principio Venetis fortuna, inſignemque die XXX. Maji eodem anno retulere de Liguribus victoriam. Verum anno inſequente ad Polam in Iſtria maritimo cum iisdem certamine congreſſi, amiſſis XIV. triremibus, ægre ceteras periculo ſubduxere. Eo ſucceſſu crevere Liguribus animi, præcipue poſtquam novus claſſis præfectus LII. triremes milite & omni apparatu inſtructas advexerat. Mox enim intercluſo commeatu omni, Venetiarum urbs dira fame vexari cepit, ut ultimum ſibi jam inſtare diſcrimen cives crederent. Neque terra felicius res Venetis ceſſit: Carolus enim Dyrrachinus Ludovici Dyrrachini Filius, a) Dalmatiæ & Croatiæ Banus, cui bellum id in Italia adminiſtrandum dederat Ludovicus, totam iterum Marchiam occupaverat, Tarviſiumque arctiſſima premebat obſidione.

XV.

a) Inſpice Geneal. Tab. III.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Quis exitus?

XV. Hoc rerum ſuarum poſitu, atque imprimis Venetiarum urbis diſcrimine perculſi Veneti, ad Carolum Dyrrachinum nuncios de pace miſere: auditi ſunt ab eo perhumaniter, facileque de concordia conventum fuiſſet, niſi Paduani & Ligures obſtitiſſent. Itaque Carolus, ut ſe moleſtis diſceptationibus liberaret, Oratores Venetos Budam ad Ludovicum direxit. Sed ille præter expectationem difficiliorem illis ſe præbuit: eas enim pacis conditiones propoſuit, quas Veneti ſalva dignitate admittere nullo pacto poterant. Cetera inter: *ut in Principe S. Marci foro ſolennioribus per annum diebus, vexillum Regis Hungariæ in ſignum clientelæ erigeretur. Electio Ducis Venetiarum ab Hungariæ Rege confirmaretur. Quingenta aureorum millia pro belli expenſis ſine mora Ludovico numerarentur. Præterea annis ſingulis Respublica tributi nomine Hungaris penderet quinquaginta aureorum millia.* A)

A) Vide Lucium de Regnis Dalm. & Croat. Lib. V. Cap. I. pag. 238.

LUDOVICUS I. M.

cipua fuere, quibus die XVI. Auguſti An. MCCCLXXXI. Hungari & Veneti Legati ſubſcripſere. Atque ſic aſſerta rurſum Ludovico Dalmatiæ poſſeſſio: Venetis Marchia Tarviſina reſtituta. a)

XVI.

buiſſe, ut corpus S. Pauli I. Eremitæ per eam occaſionem a Venetis peterent, quod etiam obtinuerunt. Itaque ſacrum illud pignus Budam advectum, in Sacello Regio primum conquievit. Inde ad S. Laurentii Divi hujus Patriarchæ filiorum cœnobium translatum fuit. Locus me admonet, ut adnotem, cœtum hunc S. Pauli I. Eremitæ, ad preces Reverendiſſimi in Chriſto Patris Pauli e Comit. Eſzterházi Ordinis totius Generalis in numerum Monachorum a Clemente XIV. Romano Pontifice, dum hæc ſcriberemus, Ann. MDCCLXX. cooptatum fuiſſe.

a) Tarviſinam Marchiam, quam una cum Padua Ludovicus Bavarus Imperator Ottoni, & Alberto II. Fratribus Auſtriæ Ducibus eorumque hæredibus Feudi nomine An. MCCCXXXVIII. contulerat, Leopoldus Dux Auſtriæ Alberti II. filius paulo poſt in ditionem ſuam redegit; verum rurſus certis pactis Franciſco de Carraria Paduæ tum Domino tranſcripſerat. Vide ſpecimen Genealogicum Eruditiſſ. ac Excell. C. Cronbergii a nobis editum pag. 61. & Chronicon Hung. Cap. XXVIII.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Quæ præterea Ludovici bella?

XVI. Hæc, quæ hactenus recenſuimus bella, paulo diffuſius explicari oportuit, cum quod illuſtriora erant, tum vero cum ingenti Regni Hungarici emolumento conjuncta. Cetera, cum Auſtriacis, Bohemis, aliisque geſta longum foret hic enarrare, quando Chronica noſtra Ludovicum annis prope ſingulis provocatum in campum prodiiſſe, victoremque domum reverſum memoriæ prodiderunt. Poſtquam Dalmatiam omnem in poteſtate habuit, in Bosnenſes, Raſcios, Servios & Bulgaros rebellantes ſæpius arma ſumſit, docuitque illarum gentium populos & Principes, juratam toties Hungaris Regibus fidem paulo ſincerius accuratiusque obſervare. Verum nec omnes, nec ſemper in obſequio conſtantes habuit, quod ſacrorum communione & intima cum Græcis amicitia conjuncti a latino Rege vehementer diffiderent: qua de cauſa quod armis non poterat virorum Apoſtolicorum opera errantes eas oves ad legitimi Paſtoris ovile reducere conatus fuit.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Cur neglectæ in Turcas Expeditio?

XVII. Per idem tempus Amurates Turcarum Sultanus occupata Adrianopoli pluribusque Albaniæ & Græciæ Regulis ſub jugum miſſis, latius in dies ſuum in Europa dominatum proferebat, fractoque jam, ac pene ſolius Urbis & Agri Conſtantinopolitani ambitu circumſcripto Græcorum imperio, ſupremum exitium minabatur. a) Quo itaque imminentem reliquo orbi Chriſtiano perniciem prohiberet Ludovicus, non una vice bellum in Turcas apparabat; verum eo conſilio, ut quod armis ſuis vindicaſſet, libere poſtea retineret: indignum alioquin rebatur, totam difficilis belli molem non ſine maximo æris, mili-

a) Adeo jam res Græcorum collapſæ erant, ut Dynaſtæ & Reguli præcipui, quo Turcarum furori ſe ſubducerent, Amuratis clientelam ſint profeſſi. Quorum exemplum Imperator ipſe Joannes Palæologus ſecutus, illum ſuis cum filiis & exercitu ſervi inſtar affectari non erubuit. Heu quorſum recidit priſca illa Græcorum virtus? Conſule de his Orientis ruinis poſt alios Scriptores P. Franciſcum Borgiam Kéri in Hiſtoria Bizantina ſub Joanne Palæologo.

Digitized by Google

militisque ſui diſpendio, nullo autem ſuo, & rei Chriſtianæ commodo ſuſtinere in eorum gratiam, qui quoties periculum a Turcis impendebat, ſplendidiſſimis cum promiſſis ad Latinorum Principum opem convolabant, propulſato autem diſcrimine, acriore Latinos quam Barbaros ipſos odio inſectabantur. Æquam eam conditionem cum Græci vel in ipſis imperii ſui ruinis arrogantia tumentes inire nollent, Ludovici in ſe iras provocarunt. Quod autem eum omnium maxime ad bellum Græcis ipſis inferendum, atque adeo Orientis imperium invadendum animavit, illud erat, quod Imperator Joannes Palæologus Amuratis tributarius, ſuis cum copiis in Turcarum caſtris adverſus Chriſtianos militaret, non ſine infami nominis ſui dedecore, & rei Chriſtianæ damno. Itaque Turcarum ſocios æque pro hoſtibus habendos ratus, maximum contra Orientem bellum a) molitus fuit. Ut autem eo majore compendio LUDOVICUS I. M.

a) Vide Lucium de Reg. Dalm. & Croatiæ. Lib. V.

Digitized by Google

[redacted]
LUDOVICUS I. M.

dio illud conficeret, a Venetiis per nuntios petiit, ut ſibi liceret Venetiis ære ſuo claſſem comparare, bellicoque apparatu inſtruere, qua per Helleſponti anguſtias clam deducta, ad Bizantii oppugnationem uteretur; quo tempore ipſe terreſtribus copiis hoſtem occuparet. Verum Veneti, e quorum re non erat, Ludovicum in Adriatico armatam claſſem tenere, aut etiam Orientis acceſſione firmari, amicitiam ſibi cum Joanne Palæologo intercedere excuſantes, claſſis in Græcos conſtructionem negavere. Quanquam & Pontifex Orientalis Eccleſiæ cum Latina uniendæ ſpe inani lactatus, Ludovicum ab eo bello dehortatus fuit. Atque his ex cauſis, pulcherrimum illud Ludovici contra Græcos & Turcas conſilium, tum quidem dilatum eſt; poſtea autem enaſcentibus in dies aliis bellis, penitus evanuit. Sed nempe hæc erat Supremi Numinis providentia, quæ Orientalium legitimo Chriſti in terris Vicario obedire detrectantium arrogantiam Ottomanica olim ſervitute caſtigare parabat.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Ceterum Ludovicus Orientalis imperii potiundi ſpe, ut diximus, dejectus, ampliſſimas deſtinationes ſuas in irritum abiiſſe levius ferre poterat propterea, quod ex innumeris alibi reportatis victoriis tantam conſecutus erat gloriam, quantam nemo ante eum, & regnum autem Hungariæ cum tot provinciarum acceſſione nobilitaverit, ut unus pene tot regnis præeſſet, quot cæteri Europæ Reges omnes poſſidebant. Poſtquam enim Caſimiro Avunculo e vivis erepto An. MCCCLXX. Poloniam obtinuit, fere quidquid mari Baltico, Adriatico & Ponto Euxino terrarum intercipitur, Ludovicum agnoſcebat Dominum. Non eſſe id nimis exaggeratum facile patebit, ſi quis præter Hungariam, Dalmatiam univerſam, Croatiam, Sclavoniam, Raſciam ſeu Boſniam, Serviam, Bulgariam, Valachiam, & Moldaviam ſive Cumaniam, Gallitiam, Lodomeriam, Poloniam, Neapolim cum Sicilia, quam Carolo Parvo ultro ceſſerat, ac Tartaros denique ad unius Ludovici dominatum pervenisſe cogitaverit. Ex his Poloniam filiæ

LUDOVICUS I. M.

Quanta illius Regni amplitudo?

hære-

LUDOVICUS I. M.

hæredibusque ſuis per ſolemnia pacta Ann. MCCCXXXIX. inita, ſæpiusque innovata aſſeruit, non tamen prius, quam Ann. MCCCLXX. poſt mortem Caſimiri Regis Avunculi ſui, ſolenni ritu Cracoviæ coronatus, regni Polonici poſſeſſionem adiit. Et vero meruit hanc a Polonis gratiam Ludovicus: ſive cum An. MCCCXLV. dejecto a Cracoviæ oppugnatione Joanne Bohemiæ Rege, atque e Polonia copiis Hungaricis ejecto, ſolium Caſimiro Regi ſervavit, ſive cum annoſas lites Polonos inter & Bohemos, auctoritate, prudentia, quin & numerato ære feliciter abſolvit. Cætera autem ſuperius enumerata Regna juris erant Hungarici: quæ ſub exitum Seculi XIII. & principio XIV. per vicinos hoſtes non mediocri ſui parte occupata, Ludovicus armorum ſuorum vi atque potentia ex alienis manibus vindicata, S. Coronæ Hungaricæ glorioſiſſime reſtituit, ut adeo Ludovicus Magnus omnibus omnino Regnis, quorum titulis Reges Hungariæ uti ſolent, reipſa imperaverit. His porro Regnis Ludovicus Wayvodas, Capitaneos aut Ba-

nos

Digitized by Google

nos pro arbitrio ſuo Vicaria poteſtate præficiebat, vel certe eorum Principes, ad jurandam ſibi ſacræque Coronæ ſuæ obedientiam ac fidelitatem adegerat: ſic Stratimerus Bulgariæ Princeps bello victus captusque, non niſi nuncupato prius fidelitatis Sacramento, clientelari jure ſuam recepit Bulgariam.

LUDOVICUS I. M.

XIX. Locus ipſe me admonet, ut nonnullorum Polonorum ſcriptorum accuſationem hic ex tranſitu refellam, qui acerbe carpunt Ludovicum noſtrum, quod Polonico Sceptro An. MCCCLXX. potitus, Ruſſiam Rubram cum Podolia a Corona Poloniæ per fraudem avulſam, Hungariæ conjunxerit. At enim hæc imperite admodum jactantur: vetuſtiora enim ſunt S. Coronæ Hungaricæ in Ruſſiam jura, quam ut eadem a Ludovici M. temporibus derivari oporteat. Juvat rem paulo altius repetere. Ruſſia olim varias in provincias diſtracta fuit, quarum ſingulis Reguli ſeu Duces imperabant, qui partim liberis ſuorum ſuffragiis, partim, ut ea ferebant

Jurene potitus Ruſſia?

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

tempora, devictis æmulis vi atque potentia in principatum involabant. Ex his provinciis fuit Gallicia Ruſſiæ, qua Hungariæ Tranſilvaniæque contermina eſt, pars potior, dignaque, ut Regnum appellari poſſit. Hujus populi multiplicium calamitatum pertæſi, ſecuritatis procurandæ cauſa, Belæ III. Regi H. Euphroſinæ Duciſſæ Ruſſiæ popularis ſuæ filio An. MCLXXXV. ſponte ſemet ſubjecere, ejusdemque filio Andreæ, qui poſtea II. id nominis Rex Hungariæ fuit, in principem Regni Urbem Galliciam ſumma cum gratulatione deducto, fidei Sacramentum dixere. Rurſus An. MCCXII. iidem Galliciæ, & quæ hujus portio fuit, Lodomeriæ populi Sacræ Coronæ Hungariæ fidem ſuam inſtaurarunt, atque una ab Andrea II. Rege, *cujus*, ut ipſe ait, *ditioni ſubjecti erant*, *humiliter poſtularunt*, & impetrarunt, *ut filium ſuum* Colomanum *ipſis in Regem præficeret.* Annuit æquis ſubditorum votis Andreas, Colomanumque filium in Galliciam dimiſit; qui ſolenni pompa illic inauguratus, accepto fidei Sacramento, Galliciæ

Lodo-

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Lodomeriæque poſſeſſionem adiit: atque ab hoc tempore ad noſtram usque ætatem Reges Hungariæ omnes Galliciæ Lodomeriæque titulis uſi ſunt. Colomanus quidem poſito certis pactis ſceptro, Galliciam Lodomeriamque Micislao, ceteriſque poſt eum Ruſſicæ gentis Ducibus reſignavit; quin tamen ea propter ullam S. Corona Hungarica paſſa ſit jurium ſuorum diminutionem; hi etenim Duces Gallicienſes fiduciario ſolum nomine præerant, Regibusq Hungaris ſubjecti; quorum exemplo complures alii Ruſſorum reguli inducti, ſecuritatis cauſa in clientelam Regum Hungariæ concedebant. Hujus generis fiduciarius Hungarorum fuit Ratislaus Galliciæ Dux, Belæ IV. Regis gener, ejusdemque filius Michael: Daniel item Ruſſorum Dux, qui teſte Keza Seculi XIII. ſcriptore in Coronatione Belæ IV. Regis A. MCCXXXVI. *Vaſallitio obſequio, equum Regium ſumma cum reverentia ducebat*, hujus item filii, Romanus & Leo urbis *Leopolis* ſeu *Lemberga* in Gallicia conditor. Perſtitere enim vero in Gallicia & Lodomeriæ id eſt Ruſ-

LUDOVICUS I. M. ſiæ Rubræ poſſeſſione Reges Hungariæ usque ad tempora Ladislai IV, ſub quo Banos Ruſſiæ in Diplomatibus legimus. Perſtitere porro etiam usque ad Ludovici Magni ætatem; verum non ſine notabili diminutione limitum. Quo tempore, Wenceslao, Ottone & Carolo I. de Regno contendentibus, Hungaria domeſticis factionibus laborabat: Poloni opportunitate uſi, partem Ruſſiæ ſibi conterminam occuparant; partem alteram Lithuani ſui juris effecerant. Denique eas Ruſſiæ plagas, quas Podoliam apellamus, partim evaſtarunt, partim in ditionem ſuam redegerunt Tartari; ut adeo minima Ruſſiæ portio, quæ ex vicinorum ſpoliis reliqua erat, Hungaris ſubeſſet. Sed huic rapiendi licentiæ modum poſuit Carolus I. Rex, partim revocatis An. MCCCXXXII. ad obſequium rebellibus Ruſſis; partim biennio poſt Tartaris e Ruſſia profligatis; non tamen penitus e Podolia ejectis. Ludovicus Rex Caroli ſucceſſor jurium S. Coronæ Vindex acerrimus, paulo felicior fuit in recuperandis ditionibus. Sopito enim bello Neapoli-

politano, arma in Lithuanos convertit, prælioque victos Ruſſiam ſibi reſtituere coegit An. MCCCLI. Anno autem inſequente Tartaros Andreæ Wayvodæ Tranſilvani virtute fractos, Podoliæ poſſeſſione dejecit; quo autem amplius ſuorum ſecuritati proſpiceret, An. MCCCLIV. ipſe in Tartariam irrupit, quo tempore univerſam Tartarorum gentem ſuo cum Duce ſibi ſubditam vectigalemque fecit. Fatendum quidem eſt: Ludovicum inter Hungariæ & Caſimirum Poloniæ Reges Vere Anni MCCCLII. ita tranſactum eſſe, ut Caſimirus vita comite Ruſſiam obtineret: ſi huic filius naſceretur, Hungari numeratis centum auri florenorum millibus, Ruſſiam reciperent, ſin autem ſine maſculo hærede e vivis excederet Caſimirus, Ludovicus ex veteri pacto Rex Poloniæ fieret, Ruſſia autem ſine mora & pretio ad S. Coronam Hungariæ devolveretur. Non ſecus ac concluſum erat, res accidit: Caſimiro Anno MCCCLXX. demortuo, Ludovicus ſceptro Polonico potitus fuit; Ruſſia vero ad Hungariam rediit. Itaque a morte Caſimiri Re-

LUDOVICUS I. M.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M. gis, Ludovicus paulo diligentiore cura ad Ruſſiæ res ordinandas incubuit: Imprimis itinere perquam difficili ſuſcepto univerſam Ruſſiam Rubram, & Podoliam pervagatus, opportunis locis munimenta collocavit militeque communivit, qui a Lithuanorum Tartarorumve incurſionibus limites defenderet. Univerſo Regno Hungaros Wayvodarum aut Capitaneorum nomine præfecit, rem politicam æque ac militarem procuraturos: horum e numero fuere Petrus Panus, Michael Epiſcopus Agrienſis, Georgius Zudar ejusdemque fratres, Emericus Bubek, & Joannes de Capol, aut ut Bonfinius ait, de Zapolya. Juribus autem Sacræ Coronæ, & ſecuritati amplius proſpecturus Ludovicus, nonnullas Ruſſiæ Podoliæque ditiones a privatis eorum Dominis coemit, ſic Theodoro Keriatovics pro Caminecenſi tractu Munkacſienſem in Hungaria ditionem ducatus titulo poſſidendam dedit. Ladiſlao Oppoliæ Duci pro iis, quas in Ruſſia tenebat, terris, ampliſſima Latifundia ſummasque apud Hungaros dignitates contulit. Denique ut Religioni Catholicæ iis in Regio-

gionibus conſuleret, Gallicienſem Archiepiſcopatum, additis tribus aliis Epiſcopatibus: Premislienſi, Lodomerienſi, & Chelmenſi, conſentiente Gregorio XI. Pontifice fundavit. Atque hæc abunde refellunt Polonorum ſcriptorum de Ludovico noſtro criminationes, oſtenduntque recte adhibitas a Joanne Archidiacono illorum temporum æquali, eas loquendi formulas, cum *Regnum Ruſſiæ S. Coronæ Hungoricæ ſubjectum*, idemque illud per Wayvodas Hungaros ſub *titulo Sacræ Coronæ* Hungaricæ adminiſtratum conſervatumque plus una vice meminit. LUDOVICUS I. M.

XX. Tam magno Regi, tot populorum Domino, illud ſolum ad perfectam in hac vita felicitatem deerat, quod filio careret, cui ampliſſimas hæreditates tot curis quæſitas, & partam tot rebus geſtis gloriam, poſt fata relinqueret. Prior conjux Margareta Caroli IV. filia citra ſobolem deceſſerat. Ex Eliſabetha Stephano Bosniæ Bano genita, tres ſuſtulit filias: Catharinam, Mariam & Hedvigem, ſed Maris ſpes nulla appa- Quam triſtis Ludovici orbitas?

LUDOVICUS I. M.

gariam juribus ſe abdicavit, quæ ob cognationem cum Arpadiana Regum Hungariæ ſtirpe, per Mariam Proaviam ſibi eſſe inepte quidem exiſtimare potuiſſet. Ille confecto altero, quod narratum eſt, cum Venetis bello, Romam profectus, accepta ab Urbano VI. Pontifice Corona, utriusque Siciliæ ac Hieroſolymorum Rex proclamatus fuit. Inde Neapolim tetendit, urbeque potitus, Joannam Reginam in poteſtatem redactam. Averſæ eodem, quo Andreas Rex pependit loco, laqueo enecari juſſit: A) atque a crudeli hoc facinore Regni Neapolitani poſſeſſionem inchoavit.

XXII.

A) Poſtquam triduo inſepulta jacuiſſet Joanna ad D. Claræ tumulo demum illata eſt hic commendata verſibus.

Inclita Parthenopes jacet hic Regina Joanna
 Prima, prius felix mox miſeranda nimis.
Quam Carolo genitam multavit Carolus alter.
 Qua morte illa virum ſuſtulit ante ſuum.
Obiit ANNO MCCCLXXXII. Die vero XXII.
 Maji ſecundæ indictionis.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Quid de Hungarico?

XXII. Ad Hungariam deinde ſuas convertit curas Ludovicus I. cum nullum haberet marem, Mariæ; prima enim Catharina obierat, diadema Hungaricum deſtinavit. Videbat nempe in tenella tum adhuc Virgine eam indolem, quæ vaſtiſſimis ditionibus moderandis non impar eſſet: initia regiminis, quæ omnia difficillima ſunt, proniora filiæ redditum iri ſperabat Eliſabethæ Matris cura atque ſolicitudine, tum vero clariſſimorum, qui in ſuà diſciplina belli paciſque artibus egregie exculti fuere virorum opera & ſtudio; quorum ſi principio conſiliis aſſueſceret, regendi arte ipſo uſu roborata, ſuo poſtea ingenio ductuque Rempublicam maxima cum gloria gubernatura videbatur. Ad hæc omnes adminiſtrationis partes optimæ conſtitutæ erant: vigebat in tribunalibus juſtitia, ærarium nunquam locupletius, miles & numeroſus & egregie exercitatus, Duces in promptu plurimi, ut adeo omni ex parte ſapienter ordinatam Rempublicam facile eſſet retinere in flore. Neque Hungari huic conſilio adverſati ſunt; quamvis enim apud eos ſine exem-

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M. exemplo eſſet, ut fœmina bellicoſæ genti imperaret; tanti tamen & meritorum Ludovici erat memoria, & ſapientiſſimi Regis de filiæ ſuæ ad Regnum capacitate judicium, ut libenter ſubſcriberent. Tam illuſtri ſponſæ, futuræ tot Regnorum Dominæ, conſentientibus Hungariæ Ordinibus ſponſus delectus Caroli IV. Imperatoris Bohemiæ Regis filius Sigismundus, & ipſe Hungarico e ſanguine ortum ducens A), initaque ſunt pacta nuptialia Tyrnaviæ, qui ut Idioma Hungaricum moresque condiſceret, Budam accerſitus, in Aula Ludovici Regis deinceps iis, quæ Principem decent diſciplinis imbui excolique cepit B).

Quid de Polonico? XXIII. Tam prona Hungarorum in Mariam voluntate lætus, filiarum alteram Poloniæ hæredem inſtituere cupiebat Ludovicus. Difficilius id impetratum iri apparebat, quod Poloni hæreditariam quidem

Caro-

A) Vide Genealog. Reg. Hung. Periodi II. Tab. I.

B) Chron. Hung. Part. II. Cap. LII.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

Caroli poſteris feciſſent Poloniam; ſed non niſi maribus: ac ipſe etiam Ludovicus M. ſolenni Diplomate An. MCCCLV. edito caverat, ſi ipſe citra prolem maſculam decederet; ſalvam futuram Polonis cujuscunque Regis eligendi libertatem A) Poſt multa animo agitata Ludovicus miſſis ad Comitia Polonorum nunciis eis exponi jubet; quantos ipſe in bellum Lithvanicum profudiſſet ſumtus, quantum numeroſo militi ad Poloniæ fines tuendos neceſſarii æris quotannis ſuo ex ærario numerandum fuiſſet, Polonis nihil aut avare admodum ſubſidia præbentibus: cupere itaque ſe, ut deinceps vectigalia moderata penderent. Perturbavit ea petitio Polonos vehementius, cumque potentiſſimi Regis animum repulſa irritare non auderent, miſſis extemplo Legatis orabant ſupplices, ne ſe veteri a tributis immunitate ſpoliatum iret: hoc enim vero nullum gravius Polonicæ genti vulnus

A) Diploma recitatum habes in Annal. Reg. Hung. ad hunc Annum. Datum autem fuit Budæ XXIV. Junii.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

nus infligi poſſe: paratos ſe ad aliud quidvis quantumvis arduum præſtandum meritiſſimo de ſua gente Regi. Ludovicus, qui aliud longe tum intendebat, longiore tempore in ſententia perſtitit, Polonosque imperata facere juſſit; ad extremum cum fractos penitus ac omni alia ratione vectigal redemturos cerneret, edixit; hoc uno ſe a petitione deſtiturum, ſi jura ſucceſſionis a maribus, quibus ipſe careret, in filias ultro transferrent. Poloni vectigalium metu ſoluti, ſine cunctatione Ludovici poſtulatis ſubſcripſere, fidemque dedere, ſe quamcunque e filiabus dediſſet, Reginam ſalutaturos. a) Ludovicus hac ratione, quaſi aliud agens quod unum in votis habebat, conſecutus, principio Hedvigem, ut diximus, Polonis dare conſtituerat, Wilhelmo Auſtriæ Duci deſponſam: verum quia Poloni a Wilhelmo vehementer abhorrebant, ac interea Ludovicus ſapientius inierat conſilium, Poloniam cum Hungaria perpetuo conjungendi, Zolium An.

MCCC.

a) Annal Reg. Hung. ad A. MCCCLXXIV.

Digitized by Google

MCCCLXXXII. Polonos ad Comitia evocat. Aderant ex utroque ordine maximi quique viri: Ludovicus cauſis, cur conventum indixiſſet, breviter expoſitis, ſenſim gravi oratione Polonos hortatus eſt, ut quoniam ipſe Mariam Sigismundo ſponſam deſtinaſſet in Hungaria imperaturam, Sigismundum Regem ſibi eligerent, dignum eo faſtigio adoleſcentem; qua electione potentiſſimis duobus Hungariæ & Poloniæ Regnis æterno fœdere conjunctis, gens utraque adverſum quosvis hoſtes firmiſſima evaſura eſſet. Accepta eſt venerandi Regis ætate jam provecti oratio maxima animorum conſenſione, & Sigismundo tanquam futuro Poloniæ Regi Sacramentum ſolennibus verbis nuncupatum. A) Verum datam tunc fidem mox a morte Ludovici Poloni abrupere. Interea Sigismundus in Poloniam abiit, bello adverſus Januſium Maſſoviæ B) Ducem militiæ rudimenta poſiturus.

LUDOVICUS I. M.

XXIV.

A) Ibidem ad An. MCCCLXXXII.

B) Maſſovia eſt notabilis Regni Polonici portio, ad Septemtrionem Regno Pruſſiæ, ad Orientem Lithua-

LUDOVICUS I. M.

ſendaque virtutum ſuarum præmia in cœlum transmiſit. Erat Ludovico ſtatura mediocris, elati citra faſtum oculi, barba & crines criſpi, curvi aliquantum humeri, labia prominentia, vultus graviſſimas inter curas æqualis ſemper, ſerenus, ac renidens, ad reverentiam amoremque conciliandum compoſitus. Corpus Magni Regis Albam Regiam deve&tum, inter uberrimas promiſcue concurrentium lacrimas, ac lugubres populi vociferationes in Sacello, quod pone Baſilicam B. V. Mariæ ſumptuoſiſſimo opere conſtruxerat, honorificentiſſimis juxta ac triſtiſſimis exequiis tumulatum fuit. Illa nempe proborum Principum ab obitu ſinceriſſima eſt laudatio, ſi ſubditorum lacrimis deplorentur, quas tum non metus aut ſpes, ſed ſinceri amoris fructus dolor exprimit.

Quantus ille Religione?

XXV. Et talem ſane ſe toto Regni tempore ſuis exhibuit Ludovicus, ut merito eum ætas, ſexus, & ordo omnis lugeret ereptum. Nam cum adoleſcens adhuc ſolium conſcendiſſet, Divos Reges

Ste.

Stephanum, Ladislaum, & Emericum A) peculiari ſtudio ſibi imitandos propoſuerat, idque adeo feliciter, ut nemo ante eum ad hæc gentis noſtræ Sidera propius acceſſerit. Deo rebusque divinis ſincero quodam ſtudio addictus, huic imprimis placere, ſubditosque ſuos ad tanti Domini obſequium verbis & exemplis adducere satagebat, optime gnarus, eos ſibi fidem ſervaturos, qui Deo ante fideles exiſterent. Incenſum in eo erat religionis Catholicæ ſtudium, ſive tuendæ ſive propagandæ. Tumultuantes in Bosnia Patarenos, veterum Manichæorum poſteros, duplici bello fractos B) dimiſſis eo D. Franciſci Sodalibus eo ſucceſſu excoluit, ut brevi tempo-

LUDOVICUS I. M.

A) Ludovicus ipſe id fatetur litteris fundationis Capellæ Aquisgrani, quas vide in Epiſc. Agrienſ. pag. 323.

B) Geſtum eſt bellum An. MCCCLIX. in quo Nicolao Strigonienſi Regni-Cancellario Sigillum duplex Regium furto ſublatum: quare novum poſtea confici curavit Ludovicus, revocatis omnibus donationibus, niſi poſteriore hoc Sigillo communirentur. Chron. Hung. pag. 309.

Digitized by Google

[redacted] LUDOVICUS I. M.

te CC. hominum millia ad ovile Chriſti redierint. Bulgariam a ſchismate aliisve erroribus feliciter repurgavit: Hungariam ab Judæis; cum quia baptismum ſuſcipere detrectarant; tum vero quia exaggeratis fenerationibus Reipublicæ noxii evaſerant. Cumanos a) Moldaviæ & Beſſarabiæ incolas ceterosque gentiles olim populos Carolo Patre agente Baptizatos, diſtributis per vicos

a) Poſtquam Cumanorum Reliquiæ ſeu ſponte ſua, ſeu ſecuritatis cauſa ad veteres populares ſuos Hungaros commigrarunt, Regio cetera fertilis incolis vacua pene in ſolitudinem abiit. Soli amœnitate captus Bogdanus Maramaroſſienſis Comitatus Walachorum Coriphæus, acceptis ſecum pluribus familiis, alpes Transgreſſus, regionem habitare cepit, quæ paucis poſt annis creſcente incolarum numero frequentiſſima evaſit, Moldavia appellata. Ludovicus ne Cumaniæ terra a juribus S. Coronæ avelleretur ſollicitus, novos incolas, armis ad obedientiam revocatos tributo ſubjecit. Atque ex eo die, ut habet Joannes Archidiaconus Cap. XLIX. „ Wayvodæ, qui per Olahos ipſius Regni eliguntur „ ſe eſſe Vaſallos Regis Hungariæ profitentur, ad „ homagium præſtandum obligantur, cum cenſu „ perſolvere conſueto. „

Digitized by Google

coſ. & oppida D. Franciſci filiis, vitam ad Leges Evangelicas componere docuit. Ecdeſias Regni ſui ſingulari ſtudio ſuis in juribus conſervavit, opibus auxit. Multa Deo dicatis hominibus domicilia erexit, ac idem ut potentiores ſui facerent, effecit. a). Eximia erat in Eccleſiam Romanam, & Romanos Pontifices, quamvis eos in Neapolitana ſucceſſione adverſarios habuiſſet, reverentia, ternis vicibus miſſo in Italiam exercitu: Bernabonem, alioſque rebelles ad Romanorum Pontificum obedientiam revocavit; ſub Urbano V. Gregorio XI. & Innocentio VI.

LUDOVICUS I. M.

XXVI. Sincerum Religionis ſtudium ſequebatur eximia in MARIAM Virginem Dei-

Quantus in Mariam pietate?

a) Ludovico Imperante Celeberrimum Cheztochovienſe D. Pauli Eremitarum Monaſterium fundatum a Ladislao Duce Opoliæ Reg. Hung. Palatino, repoſita illic Icone B. V. quam a S. Luca pictam traditio eſt. Munkacſini pariter unitis Græci ritus Baſilitis Monachis cœnobium erexit. A. MCCCLX. Theodorus Keriatovics Dux Munkacſinenſis. Vide Ep. Agrien. Tom. I.

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

ſo, cum ad ſponſam proficiſcitur, aut peractis nuptiis, eam in domum ſuam revehit. Denique contra, quam in Andreæ II. Decreto Articulo IV. conceſſum erat, prohibitum diſerte, ne nobiles ſine ſobole decedentes, Eccleſiis aliisve pro arbitrio bona ſua donare legareve audeant, in fraudem Fratrum propinquorumve ſuorum, ad quos ſine mora, id genus hæreditates devolvi juſſit Ludovicus. Præter Leges has omnibus communes, ſpeciatim nonnullæ pro partibus Tranſſilvanis An. MCCCLXVI. ſunt conditæ. Definitum: quæ ſpecies cauſarum a Judicio Wayvodæ ad Curiam Regiam transferendæ ſint; ceteræ arbitrio Wayvodæ decidi jubentur, omni ad Curiam Regiam apellatione remota. Conſtitutum, ut ajunt, ſalarium hominibus Capituli vel Conventus; taxa item, pro literis inde extrahi ſolitis. Denique ad exſtirpandam Walachorum in Tranſſilvania latrocinia exercendi licentiam, modus reos judicandi plectendique præſcriptus. Has fere leges a Ludovico perlatas reperio, quarum paucitas ipſa indicio eſt, adeo bene ſub

Ludo-

Digitized by Google

Ludovico fuiſſe conſtitutam rempublicam, ut novis legibus minime indigeret. Ut enim multiplicia medicamenta, multiplices corporis humani morbos indicant, ita legum copia, & varietas rempublicam variis vulneribus afflictam, ægritudinibusque laborantem oſtendunt. Ceterum Ludovicus Rex ea, quæ a deceſſoribus in communem utilitatem perlata ſunt, in uſum deduci procuravit, ut ubivis eo imperante ordo & juſtitia vigeret. a) Ærario Regio Ludovici providentia ita ſemper proſpectum fuit, ut quamvis immenſos in continua fere bella, & tot militum pacis tempore ſtipendia ſumtus profundere neceſſe fuerit, nunquam tamen æris penuria laborarit: idque eo tempore, quo tertiam Hungariæ partem per pias oblationes Divino cultui dicatam Scriptores meminerunt. Ita videlicet liberaliſſimum Numen Ludovici in res Sacras munificentiam remuneratum fuit.

LUDOVICUS I. M.

XXVIII.

a) Ludovici Magni laudes videre potes in Chronico M. Thurotzii ſpeciatim Cap. LIII. & LIV.

LUDOVICUS I. M.

Quantus item bello?

XXVIII. Quanto in flore militaris res fuerit apud Hungaros, argumento eſſe poſſunt toties reportati de tot hoſtibus triumphi. Huc autem multum conferebat imprimis rara Ludovici ſcientia militaris, & in bello præſentia, tum vero illud, quod numeroſum militem ſtipendio conductum aluerit, pacisque tempore diſciplina militari, & armorum tractatione diligenter excoluerit, adeo ut hoſtis eum nunquam niſi optime comparatum offenderet. Indicto ſemel bello, multum in celeritate momenti poſuit, copiasque ſuas fere ſemper in hoſtiles terras prius traduxit, quam adventus ſui fama eo prævolaret: quo quidem ditionum ſuarum ſaluti optime conſuluit. Ad hæc gemina ſemper ex parte hoſtem aggrediebatur, quo ſic curas viresque illius divideret: id quod eo facilius illi erat, quia non facile ducentis millibus pauciores in campum educebat. Quibus adminiculis non mirum eſſe poteſt, eum bella cum finitimis breviſſimo tempore ac felici ſemper exitu terminaſſe: ut pacem fere ſuo arbitrio, ingentique cum Regni Hungarici emolumen-

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

ſtumento conficere ſit ſolitus, atque vicinis Regibus & populis unus ipſe leges dictaret. Fœdera tanta providentia cum Auſtriacis, Bohemis, Polonis ceteriſque gentibus conſtabilivit, ut ſi Deus hæredes illi conceſſiſſet, florentiſſimi potentiſſimique futuri erant. Denique tanta erat Ludovici Magni domi foriſque exiſtimatio, ut neminem Regum, qui tum Europæ imperabant, virtute & ſcientia cum politica, tum juridica & militari cum eo in contentionem venire potuiſſe pronuntiatum ſit.

Quantum & Cur amatus a ſuis?

XXIX. Tantus cum eſſet Ludovicus, vix dictu eſt, quam ſincera conſtantique propenſione in eum ferrentur ſubditi populi. Si domeſticos Annales pervolvamus, nullum profecto Regem, tempus nullum reperturi ſumus, quo tanta fuiſſet domi tranquillitas, animorumque conſenſio, tanta item Hungarorum in Regem ſuum fides, tot tamque difficilibus bellis, & laboribus exercita. Cum antea Hungarus miles non niſi limites tueri, ac vicinos hoſtes laceſſitus invadere conſueviſſet; ſub Ludovico Tar-

tariam,

Digitized by Google

[redacted]

LUDOVICUS I. M.

garis Ducibus bello uteretur, quod gentibus aut bello captis, aut in fidem receptis Hungaros vicaria præfecerit poteſtate, nominatim in Italia, Dalmatia, Ruſſia, Podolia, Bulgaria, & Walachia. Neque illud hic prætereundum, quod ad Regni Hungarici Ornamentum, ſucceſſorum autem Regum commoditatem ſub Ludovico inſtitutum legimus. Is montem Budenſem ſubjecto Danubio ſuperbe Dominantem ſuo cum territorio, facta permutatione, a jurisdictione Præpoſiti Budenſis exemptum, Regiis juribus attribuit, conditaque illic Regia, Aulam Hungaricam e Wiſſegradenſibus anguſtiis eo transtulit: cujus ſitu ſane quam jucundo, capti Succeſſores Hungariæ Reges, conſtans ibi ad Mohacſianam usque cladem Domicilium habuere. His igitur artibus domi felicitate, foris autem victoriis procuratis, Ludovicus poſtquam filiabus ſuis ſucceſſionis modum, ordinemque deſcripſit, animum a terrenis negotiis & innocuis relaxationibus abſtractum, rerum divinarum contemplationi, Chriſtianisque virtutibus ſolertius exercendis ultimo vitæ

ſuæ

Digitized by Google

LUDOVICUS I. M.

ſuæ tempore impendit, novosque ob pietatis ſtudium ſibi a ſuis amores obtinuit, ut hac etiam laude ſummum cenſerent, quem pacis bellique artibus maximum experti fuerant. Utinam vero Ludovicus proprias ſibi regendi dotes comitemque ſuam individuam felicitatem ad poſteros ſucceſſoresve transmittere potuiſſet, nunquam certe Ottomanorum jugum Hungaria ſubiiſſet.

Digitized by Google

TABULA II.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI II.

STEPHANUS V. Rex Hung. ✱ 1272.
Con. Eliſabetha Cumana.

Ladislaus IV. R. Hung. ✱ 1290.
Eliſabetha Carol. I. R. Sicil- filia.

Maria
Carolus II. Claudus Rex Siciliæ. ✱ 1308.

Carolus Martellus ✱ 1295.
Con. Clementia Rudol. Imp. filia.

Robertus Dux Cal R. Sic. ✱ 1343, vid. T.III-

Phillip. Tarenti Dux ✱ 1332.
Con. Catharina.

Joann. D. Dyrrachii ✱ 1355.
Vid. Tab. III.

Carolus I. Robertus Rex Hung. ✱ 1342.
Con. a Catharina Teſchinenſis
b Maria Polona.
c Beatrix Lucelburgica.
d Eliſabetha Polona.

Ludovicus Dux Tarent. ✱ 1362.
Joanna Regina Siciliæ.

Ex d Ludov. I. R. Hung. ✱ 1382.
Con. a Margar. Car. IV. Imp. fil.
b Eliſab. Steph. Ban. Boſn. fil.

d Andreas R. Sicil. ✱ 1345.
Con. Joanna Reg. Siciliæ.

Carolus Martellus ✱ 1349.

d Stephanus Dux Tranſilv. ✱ 1353.
Con. Margar. Lud. Bav. Rom. Reg. fil.

b Catharina b Maria ✱ 139 . b Hedvig. ✱ 1399.
Sig. Rex Hung. Wladisl. Jagello R. Pol.
Vide Tab. VII.

Joannes Dalm. & Croat. Dux.

Eliſabetha
Albertus III. Dux Auſtr.

MA-

MARIA I.

REX XXVIII.

A. C. MCCCLXXXII.

MARIA.

An Reges inter cenſenda Maria?

I.

ALtero a peracta funeratione die, qui XVII. Septembris erat, quemadmodum a Ludovico M. conſentientibus Hungaris dudum jam conſtitutum fuerat, Optimates Regni mira animorum conſenſione Regiam dignitatem ad Mariam Ludovici Magni filiam detulere, idque ea lege; tota ut Regni adminiſtratio ad eam, non item ad Sigismundum ſponſum pertineret. Diademate igitur, ceterisque inſignibus ritu ſolenni inauguratam Regem a) Hungariæ

I 2 ſalu-

a) „ Omnis, teſte M. Thuroczio, vulgus concordi animo hanc Virginem Reginam appellant, „ fæmineum ſexum hoc celebri nomine illuſtrant, „ illam alto Parentis in ſolio locantes, ſacro *Virginеum Caput* diedemate coronant. Cap. I. pag. 324. Neque Sigismundus tum alio, quam Tutoris Jure uſus fuit; ut patet e diplomate An. MCCCCIX. in Annal. Reg. pag. 164. Quamvis autem

Digitized by Google

MARIA. ſalutavere. Regnum adiit ſane quam florentiſſimum ampliſſimumque: Hungariam nempe Dalmatiam, Croatiam, Ramam ſive Bosniam, Serviam, Bulgariam tum ſub Gallicię & Lodomerię titulis Totam omnino qua patet Ruſſiam Rubram *a*) Cumanię autem nomine Walachiam, & Moldaviam. Quod vero nondum ea fuit ætate Maria, quam tot populorum cura expoſceret, Regina Mater Eliſabetha filiæ nomine interea Reipublicæ ſuſcepit gubernacula. Sigismundo Mariæ ſponſo haud Reor aliquid poteſtatis a muliere ambicioſa, ut Eliſabetha Regina fuit, communicatum fuiſſe eo tempore, etſi *Hungariæ Capitanei & Domini*

tem Maria Regis poteſtatem adepta fuerit, non Regem tamen, ſed Reginam ſe appellavit, ut nummi & diplomata fidem faciunt. Conſule Eruditiſſimi Viri Caroli Bel, commentationem de Maria *non Rege ſed Regina*. Edit. Lipſiæ, An. MDCCXLV.

a) Fidem huic conciliant Literæ An. MCCLXXXV. in quibus hunc titulum legimus: Nos Emericus Bubek *Totius Regni Ruſſiæ Capitaneus*, has ſi placet lege in prævia Explicatione Jurium Hungariæ in Ruſſiam minorem & Podoliam.

Digitized by Google

[redacted]
MARIA.

gi titulos geſſiſſe legatur. a) Non leviter id diſplicuerit Sigiſmundo Principi: quæ fortaſſe cauſa fuit, quod paulo negligentius, frigidiusque poſtea, quam adeo illuſtris ſponſæ dignitas merebatur, nuptias ambiverit: videbat nempe, e toto illo ſplendido connubio mariti ſe ſolum, non item Regis honorem conſecuturum. Atque idcirco Sigismundus Curas ſuas omnes eo intendit, ut ad mentem ſoceri ſui ſolium Polonicum ſibi procuraret. Et vero diuturna Sigismundi a ſponſa ſua abſentia, longaque nuptiarum dilatio non parum ad eas, quæ mox Hungariam corripuere, turbas anſæ præbuerunt.

a) Tituli hujus fidem faciunt Sigismundi literæ Joanni de Capola Waivodæ olim Ruſſiæ datæ, quæ ſic habent: *Nos Sigismundus Dei gratia Marchio Brandeburgenſis. S. R. Imperii Archicamerarius nec non Regni Hungariæ Capitaneus & Dominus &c.* Datum in Kaproncha Sabbatho proximo poſt diem S. Antonii Confeſſoris Anno Domini M. CCC. LXXXVII.

MARIA

Cur avulſa ab Hungaris Polonia?

II. Initia Regni Eliſabethæ, ut mox narrabitur, fuere infauſtiſſima: turbæ in Polonia ſumſere exordium. Agebat tum Cracoviæ Sigismundus, quem Polonis non diſſentientibus ultima voluntate Regem deſtinarat Ludovicus; hunc itaque adiere Optimates Regni impenſius orantes; ut Domarathum avaritia, aliisque vitiis notatum hominem a majoris Poloniæ præfectura removeri pateretur. Sigismundus, qui ei homini plurimum tribuebat, ut in ipſo Regni exordio ſuam conſtabiliret auctoritatem, diſerte ſe id facturum negavit; quin etiam perſiſtentibus in petitione non iniqua viris nobiliſſimis, graviſſimas, niſi deſiſterent, pœnas comminatus fuit. Imprudens hæc agendi ratio Regis nondum inaugurati, nec de Polonico ſceptro adhuc ſecuri, pulcherrimum illud Poloniæ in perpetuum copulandæ Ludovici Magni conſilium penitus evertit. Poloni enim ex iis rerum initiis, quale Sigismundi futurum eſſet regimen, augurantes, habito inter ſe conſilio, prioribus renovatis, poſteriora cum Ludovico pacta antiquarunt; & quoniam

Digitized by Google

[redacted] MARIA.

niam Maria in Hungaria imperatura erat, ejus ſororem Hedvigem ſibi tradi per oratores poſtularunt, atque ea lege; ut non alium, quam, qui Polonis placuiſſet, ſponſum acciperet. A) Moleſte inopinatam eam petitionem tulit Eliſabetha Mater, ſive quod ab Hungaris, tam illuſtre divesque Regnum avelli nollet: ſive quod Hedvigis Vilhelmo Auſtriaco dudum jam de-

A) D'ugoſſus Hiſtor. Polon. Lib. X. has addit conditiones præterea tum Polonos inter ac Eliſabetham concluſas: ſi Hedvigis improlis obiret, Jus Poloniæ Maria Soror ex aſſe habeat: qua prærogativa in ſolidum, ſi Maria ſine liberis decedat Hedvigis viciſſim in Hungaria gauderet. Pacta hæc vereor ut Hungariæ ordines calculo ſuo rata habuerint, qui jam-tum fœmineum Puellæ imperium non ferentes de Carolo Parvo Neapoli advocando conſilia cudebant. Ut ut ſit privata hæc pactio, occaſio poſtea fuit, ut mortua Maria ſorore, Hedvigis Regnum Hungariæ ad ſe pertinere contenderit: & quoniam Hungariam non poterat, Regnum Ruſſiæ a S. Corona Hungariæ per vim fraudemque avulſerit: ut taceam jura alia in nonnullas ditiones Polonicas præſertim in Plocenſem ducatum & aliquot Principatus Maſſoviæ ea tempeſtate oppreſſa.

MARIA. ſponſa, familiari etiam conſuetudine inſue-viſſet. Diu itaque obluctata, cum denique a poſtulationibus ſuis minime receſſuros videret Polonos, ne obſtinatione ſua rem penitus corrumperet, non ſine filiarum damno annuit denique ſerius, Hedvigemque Polonis tradidit An. MCCCLXXXIV. Illi Vilhelmo Auſtriaco nequidquam ſua in ſponſam jura perſequente abire juſſo (duxit is poſtea Caroli Parvi cæſi filiam Joannam) Uladislaum Jagellonem, Magnum Lithuaniæ Ducem, prius tamen ſacro baptismatis fonte Chriſto initiatum, Reginæ Hedvigi Maritum; Regno Regem dedere, id conſecuti commodum, ut Lithuania Polonicæ Coronæ æternum jungeretur. Matrimonium hoc coaluit A. MCCCLXXXVI, in quo exactis XIII. annis, Hedvigis ſine ſobole decedens Poloniam Uladislao conjugi, ejusque poſteris gubernandam reliquit a).

III.

a) Inſpice Genealog. Reg. Hung. Periodi II. Tab. IV.

Digitized by Google

MARIA.

Cur a Reginis alienati Hungari?

III. Iisdem prope temporibus in Hungaria pariter turbari res cepere, alienatis vehementer ab Eliſabetha Hungarorum animis. Malorum omnium cauſam ferunt Nicolaum de Gara, humili e loco per omnes honorum gradus ad ſupremam comitis Palatini dignitatem a Ludovico M. evectum. A) Is ultra modum arrogans, ſolus omnia pro arbitrio gerere in votis habuit: quamobrem ut unus ipſe apud Reginas valeret auctoritate, conſilio ſane deteſtabili præcipuos Regni Optimates adeo dextre apud timidas admodum mulieres in invidiam adduxerat; B) ut illæ ab omnibus propalam

A) M. Thurotz. pag. 324.

B) Juvat huc Palatini verba ex M. Thurotzio adducere. „ Tu *inquiebat Regina* Regni hujus moderaris habenas, Tu Regina Hungarorum, Proceres tuos de te curare nihil an non conſpicis? Illi Banatum; iſti comitatum aufer, ne elatione ducti contra te calcitrent. Tua his, qui tuo lateri aſſiſtunt, beneficia ſparge, obliquis in te oculis reſpiciunt, abditas eos tibi conflare inſidias, & reginale ſpernere ſceptrum ſuſpicor. Defuncti in-

„ gen-

Digitized by Google

MARIA. abhorrerent, eorum conſpectum alloquiumque vitarent quam ſtudioſiſſime, neque ulli facile ad Regiam pateret aditus. Si quid gravioris emerſiſſet negotii, unus in conſilium vocabatur Gara; quod ille ſuo probaverat judicio, ita ſanctum firmumque fuit; ut, quidvis ſapienter objicerent alii, cum ſtomacho rejiceretur, nullaque omnino, niſi Garæ, haberetur ratio. Hac fere de cauſa graviſſima apud ſuos invidia laborare cepit Regina Eliſabetha. Gliſcenti jam flammæ oleum mox affuſum, apertum exeivit incendium. Nonnulli ex Hungaris optimates Ruſſiæ Rubræ præfecti, ſive turbarum eo in Regno metu, ſive alia de cauſa nonnulla caſtra, & oppida nominatim Camenecum in Podoſia Liubarto Uladislai Jagellonis fratri, accepta ingenti pecuniæ ſumma, vendiderant. Graviter eam ditionum

---

„ gentia Regis, qui recordetur merita, præter me „ eſt nullus. „ Chron. Part. II. Cap. I. Ita nequiſſimus adminiſter, qui ut neceſſarium ſe faceret Reginis, & ſolus regnaret, viam iniit optime conſtitutis imperiis perturbandis idoneam.

ſum alienationem tulit Eliſabetha Regina, quod meminiſſet, quantis laboribus earum recuperatio e Lithuanorum Tartarorumque manibus olim Ludovico Regi ſtetiſſet. Itaque ſine mora Emericum Bubekum Virum belli pacisve artibus Clariſſimum, ſuma cum poteſtate ac titulo *totius Regni Ruſſiæ Capitanei* eo dimiſit, non modo ut ditiones S. Coronæ tueretur; verum etiam alienatas recuperaret. a) Ruſſiæ quidem hac ratione proſpectum ſatis credebat Eliſabetha, at num Præfectorum avaritia & perfidia caſtiganda eſſet, rationibus in partem utramque examinatis, definire diu apud ſe non poterat. Anxiæ eapropter Reginæ Gara Palatinus majorem in modum auctor fuit, ut factum id plecteret quam atrociſ-

ſime:

a) Exſtant in prævia *Explicatione Jurium Hungariæ in Ruſſiam* pag. 5. Literæ ſtatutoriæ Mariæ Reginæ ad Emericum Bubek pro Andrea de Kis-Pallugya e Comitatu Liptovienſi, cui in Ruſſiæ diſtrictu Premislienſi poſſeſſiones conferuntur. Datæ ſunt Budæ in octavis S. Michaelis Archang. Anno MCCCLXXXV. In his apellatur Emericus Bubek *Regni totius Ruſſiæ Capitaneus.*

MARIA. ſime: valiturum ſeveritatis exemplum in ipſo Regni aditu ad percellendos metu Hungarorum animos conciliandamque Reginis auctoritatem; quaſi vero non eſſet ſapientius in pœna tenere modum, ſeveritatemque clementia temperare. Talibus itaque inducta rationibus Eliſabetha diem reis dixit: neque ſatis habuit, alios morte afficere; bonis multatos in exilium relegare alios, liberos inſuper, eorumque poſteros omnes contra quam lege ſolenni lata An. MCCCLI. a Ludovico cautum erat; perpetua notavit infamia. Ea res utrique Reginæ grande poſtea diſcrimen: Palatino autem certum conflavit exitium. Ut enim memorati Proceres ſummis quibusque familiis neceſſitudine ſanguinis illigati erant, amici, atque neceſſarii eorum notam illam ſuam rati injuriam, peſſimo ſane conſilio ad ſummendam vindictam conſpiravere; unde primus ad excutiendum Eliſabethæ imperium gradus factus fuit.

Quia via accitus Carolus parvus?

IV. Hæc etſi minime latebant Reginas, quod præter Garam audirent neminem; nil eorum

MARIA

eorum agebant, quæ ad diſcordias componendas, ſedandaque popularium odia valere poterant. Poſtquam animorum alienatio latius ſerpere, atque in apertam brevi eruptura videbatur ſeditionem, id a Palatino ſuggeſtum conſilii, ut libertatem, immunitatesque ab Andrea II. Hieroſolimitano Rege olim conceſſas, roboratasque a Parente Ludovico Magno, novo iterum diplomate Maria ſtabiliret Hungaris A). Ac enim ſerum id fuit ad deliniendos popularium animos illicium: præcipui quippe viri coitione facta, pulſis ſolio Reginis, virum ſufficere decreverant. Ex horum numero fuere Stephanus de Latzk Vayvoda Tranſilvaniæ, ac nuperrime ab Eliſabetha conſtitutus Illirici Banus, ſuo cum Fratre Andrea, Stephanus de Simonthornya, Joannes de Paliſzna Prior Auranæ, Joannes Horvath, pluresque alii horum neceſſarii, atque clientes. His capitibus cepit conjuratio: eadem omnibus ſententia: Carolum

Par-

A) Editum fuit Diploma An. MCCCLXXXIV. X. Calendas Julii. Vide in Codice Juris Patrii.

Digitized by Google

MARIA. Parvum Neapolis, & Siciliæ Regem ad ſolium evocandum eſſe, cum quod maternum a Maria Stephani V. filia, quemadmodum olim Carolus Robertus, genus traxerit A), tum vero quod ejus virtutem bellicam, cum adhuc apud Ludovicum Magnum in Hungaria degeret, perſpectam habuerint. Quia vero Legatos propalam Neapolim mittere non vacabat periculo, id negotium in ſe ſuſcepit Paulus gente Italus a Ludovico M. ad Zagrabienſes promotus Infulas. Is ſimulato Romam ad ſalutanda Apoſtolorum limina itinere, A. MCCC. LXXXIV. Neapolim delatus, litteras multorum Procerum Sigillis nominibusque munitas Carolo Regi tradit, communique ad capeſſendum Hungariæ Regnum nomine invitat. Diu Carolum rei novitate attonitum ab eo facinore & religio, & Ludovici Magni beneficiorum recordatio prohibebat: Nam cum ad occupandum Siciliæ Regnum copiis Hungaricis inſtructus dimittebatur, jure-

A) Vide Genealog. Reg. Hung. Period. II. Tab. III.

Jurejurando, ut diximus, interpoſito rece- perat, ſe nunquam ſua in Hungariam, vel Poloniam jura adverſum Ludovici hæredes perſecuturum; quibus nominibus fœdiſſime reſponſurum ſe videbat; ſi Mariæ Regnum ereptum iret. At cum Legatus ſpecioſis rationibus omnem criminis metum diſſiparet, urgereque indies non deſiſteret, induci ſe denique paſſus fuit ad profectionem Hungaricam, eo nihilominus conſilio; ut rebus ad quietem compoſitis, ſceptrum Hungaricum ſi res faverent, ad Ladislaum filium traduceret: quo ex ſententia peracto Neapolim redire decreverat. A) Re cognita, interceſſit Margareta Regina, eoque fletu, ac ejulatu permovit virum; ut filium ſaltem domi relinqueret: ne autem ipſe in paratum ſibi rueret exitium, abduci non potuit.

MARIA.

A) Liquet id ex ipſius Caroli verbis ad conjugem Margaretam: „ Hungariæ, inquiebat, vocor „ ad regimen; cariſſima conjux, ire, communem- „ que natum ducere, & diſpoſitis rebus ei diade- „ ma dare, ac regimen cedere, & rurſum Italiam „ petere decrevi. „ M. Tharotzius in Chron. pag. 329.

Digitized by Google

MARIA. potuit. Itaque eodem anno maximis conjugis ingratiis in Procerum Neapolitanorum Comitatu conſcenſa navi vela fecit, Segniamque Dalmatiæ urbem incolumis appulit, inde Zagrabiam ad conjuratos ſe contulit, res Hungaricas e proximo ſpeculaturus.

CAROLUS II.

PARVUS, REX XXIX.

A. C. MCCCLXXXIV.

CAROLUS.

I.

QuiRegnum Mariæ eripuit?

ADventus Caroli fama Budam nunciata incredibili metu Reginas complevit: nam quod diſſidentes ab ſe noverant ſuorum animos, non immerito verebantur; ne, ut primum pedem in Regnum intuliſſet Carolus, omnis continuo Hungaria ad eum deficeret. Quapropter edoctum per celeres nuncios de imminente periculo Sigismundum, oblata una poteſtatis Regiæ communione majorem in modum oratum

voluit

Digitized by Google

CAROLUS

voluit Eliſabetha, ut citatis itineribus in Hungariam properaret, ſolennibusque nuptiis Mariam ſibi conjungeret, quod ſi fieret; minime dubitabat fore, ut Sigismundus pro tuenda conjuge, regnoque adipiſcendo extrema quævis experiretur. Adfuit ille extemplo, copulataque ſibi tumultuariis nuptiis Maria lætus, clam iterum in Bohemiam receſſit, auxilia inde ad ejiciendum regno æmulum comparaturus. Carolus eo matrimonio vehementer turbatus fuit, ad quod impediendum ejus non obſcure ſpectabant conſilia; forte ut Mariam Ladislao filio ſuo conjungeret, quem, ut ſupra memoravimus, ſolio Hungarico deſtinaverat. Verebatur inſuper, nec immerito Sigismundi potentiam, quem & Wenceslaus frater, & cognati Germaniæ Principes haud dubie adjuturi videbantur. Ut itaque illius reditum præverteret Carolus, Zagrabia digreſſus, accelerato itinere Budam tetendit. Summa honoris, ac benevolentiæ ſignificatione acceptus a Reginis, aurato curru obviam progreſſis, multis ſe excuſavit, iter hoc ad componendas

Digitized by Google

CAROLUS

Hungariæ turbas; non item Regni potiundi cauſa ab ſe fuiſſe ſuſceptum A), tum hoſpitium, quod in aula Budenſi liberaliter offerebatur, deprecatus, urbem aſſumto gubernatoris Regni nomine ſubiit, paratasque ſibi a conjuratis ædes occupavit. Lapſis ſalutationum inter officia diebus aliquot, crebros cum Proceribus de curanda ſuis conſiliis Republica ſermones habuit. Non multo poſt ubi vulgus omne ſuas ad partes conjuratorum fraude traductum intellexit, conventum Optimatum, qui forte Budæ aderant, habuit; a quibus cum unanimi conſenſione ſe Regem deſignari cerneret; placuit de hoc Reginas edoceri. Illæ accepto tam triſti nuncio, ubi lacrimis ali-

A) „ Stimulo, *inquiebat Reginis Carolus*, caritatis fraternæ & dilectionis intimæ, quam erga „ ſororem noſtram *Mariam* pleno clementiæ pectore gerimus, ad id pungimur, ut Regnum ejus „ guerra fractum, ſicut ad nos delatum eſt, componeremus: diſcordes Regni nobiles uniremus, „ & pacatam Plebem ſorori redderemus; noſtri adventus cauſa hæc eſt, „ in Chronico Part. II. Cap. V. pag. 335.

Digitized by Google

aliquamdiu indulſiſſent, tempori cedendum ratæ, per internuncium ad conventum referri juſſere, ſe Caroli electioni minime obſtituras: animoſior adhæc Eliſabetha, ut ſe a luctu collegit, ipſa eo ſe contulit, Carolumque ſimulato ſtringens amplexu, hilari ad ſpeciem vultu, ſuo filiæque nomine, Regno Hungariæ propalam renunciavit a). Inſperata ea abdicatione mirifice recreatus Carolus ſine mora Albam Regiam iter iniit, præſentibusque illic Reginis, ſed quæ totæ lacrimis immadebant, ritu ſolito inauguratus, Regem ſe proclamari juſſit in exitu Anni MCCCLXXXIV.

CAROLUS

II. Occupato per fraudem, ſummamque præterea ingratitudinem Regno, haud diu frui licuit Carolo. Eliſabetha ereptam ſibi poteſtatem paulo acerbius dolens, vias,

Quam atrociter vita exturbatus?

K 2 mo-

a) Sic Carolum affata eſt Eliſabetha; „ Hungariam ſuperbam, & gentem effrenam fœminea nequit regere manus, tuorum Regna cape progenitorum, in te ſceptra cadunt, tuis rebus ea qua ducteris libidine utere. „ Ibidem Cap. XI. p. 340.

CAROLUS modosque omnes ejus recuperandæ ſollicite diſpiciebat; in quotidiana nihilominus cum Carolo conſuetudine, diſſimulato viriliter dolore, lætitiam vultu prodere conabatur. Hac agendi ratione adeo deluſerat Carolum; ut is ſui plane ſecurus degeret, nihilque omnino amplius ſolio, vitæque ſuæ metuendum putaret. Verum incauta iſta ſecuritas non multo poſt in paratos eum caſſes egit præcipitem: Regina quippe interea ex Palatini Garæ, ceterorumque ſuorum conſilio necem illi inferre decreverat. Conſtituto jam cædis patrandæ modo, die VI. Februarii Ann. MCCCLXXXV. Carolum ad ſe acciri curat Eliſabetha, litteras recens e Bohemia a Sigismundo transmiſſas cum eo communicatura; ille nil fraudis ſubeſſe ratus, ſine mora in aulam venit; ut ceptum eſt colloquium; Palatinus, qui tum præſens aderat, pone adſtanti Blaſio Forgách exequendi conſilii ſignum dat: ille nil cunctatus vibrato ſumma dexteritate bicello caput Caroli bifariam ictu ad oculum usque producto diſſecat. Inopinato caſu Eliſabetha, & Caro-

Digitized by Google

CAROLUS

Carolus humum uterque planxere: hic præ doloris vehementia: illa ob facinoris, quod patratum viderat, horrorem. Carolus etſi lethalem plagam perſentiſceret; collectis tamen, ut potuit, viribus aula elapſus, ægre ad hoſpitium adrepſit inter promiſcuas, Italorum, qui cuſtodiæ cauſa eum comitabantur, cædes. Inde Viſſegradum translatus exaſperato per venenum vulnere quadrageſimo a Coronatione ſua die horrendos inter cruciatus infeliciter vitam clauſit in monaſterio S. Andreæ ſine honore ſepultus. Atque hunc in modum Carolus cum præter fas aliena invaſit, ſua pariter amiſit A),

A) M. Thurótzius in Chron. laudato Part. II. Cap. II. pag. 317. Perperam Carolum Parvum Andreæ Regis Neapolitani ex Joanna filium facit. Exteri ex adverſo Ludovico Dyrrachino genitum aſſerunt; nec immerito: quis enim credat Ludovicum Magnum maſcula carentem prole, Carolo, ſi fratris Andreæ ille filius erat, aditus ad Hungaricum Regnum fuiſſe præcluſurum? Qui tam ſollicite Joannem Stephani pariter fratris ſui filium ſuum in Regno ſucceſſorem deſignabat; ut videre eſt in Tabulis ſucceſſionis in Annal. ad An. MCCCLV. & LIX.

Digitized by Google

CAROLUS

reliĉto Neapolitani Regni, & ambitionis hærede Ladislao, qui graviſſimas poſtea Sigismundo Regni Hungariæ cauſa conflavit moleſtias, Dalmatiæque in perpetuum amittendæ occaſionem præbuit.

Cædes Caroli quanto ſcelere vindicata?

III. Sublato e vivis Carolo Parvo, trucidatis Italorum præcipuis, vulgus omne magnis clamoribus Mariam Regem ſalutavit: tum profligato ex urbe Joanne Horvatho, ceterisque conjuratis, rei ſumma iterum ad Eliſabetham rediit. At non multo poſt graviſſimæ in Illirico, quo ſe receperant ſceleſti, turbæ ſunt excitæ. Quem paulo ante nominavi Joannes Horvathus, nec non Joannes Auranæ Prior cum Joanne Machovienſi Bano collecto facinoroſorum exercitu Ladislaum Caroli Parvi filium Regem

gem

Neque Sigismundus æmulum hunc ſuum aliter, quam Carolum de Durazzo, appellare conſuevit. Illud hic meminiſſe velim Andinam Regum Galliæ ſtirpem tot annis Neapoli dominantem, fere mutuis cædibus ſemet confeciſſe, quanto rerum humanarum inconſtantiæ argumento.

Digitized by Google

gem proclamavere, ejusque nomine infeſta per Illiricum omne circumtulere ſigna: graviſſimis patebant injuriis, qui legitimæ Principi ſuæ Mariæ ſe adhærere dicebant: quo factum; ut brevi tempore magnis creverit conjuratio incrementis. Serpenti malo medelam allatura Eliſabetha, quod per litteras & nuncios nequidquam proficiebat, cum Regina Maria in Palatini aliorumque Procerum comitatu iter in Dalmatiam arripuit Anno MCCCLXXXVI. reſtinguendum mox ſua præſentia incendium arbitrata. Verum multo, atque optarat, evenit aliter: Joannes enim Horvathus de Reginarum itinere admonitus, cum delectis Gladiatoribus prope oppidum Gara in inſidiis conſiſtit. Ut eo cupita pervenit præda, incredibili rabie in prætervectos illatus, Forgâchio primum; tum Palatino, atque aliis dimicandum inter conciſis, aut diſſipatis, Reginas ſuperum hominumque fidem lugubri voce invocantes in poteſtatem redigit, nullaque ſive imbellis ſexus; ſive Regiæ Majeſtatis habita ratione, captivas in Crupinenſem primum tum Novi-

Digitized by Google

CAROLUS gradenſem includit arcem. Eliſabetha non multo poſt ſive dolore, ſive alia de cauſa in carcere obiit A). Mariam autem homo Barbarus ad Margaretam Caroli Parvi cæſi viduam Neapolim transmittere parabat, triſtibus cæſi conjugis manibus inferias dandam. Feciſſetque haud dubie, niſi nobiliſſima Venetorum Reſpublica facinus id prohibuiſſet. Ut primum enim de Reginæ periculo fama Venetias pertinuit, miſſa continuo claſſis, quæ Adriaticum Mare percurſaret, atque ita clauſum teneret, nulla ut navis e Dalmatia Neapolim vela facere auderet, ut adeo Maria ſalutem ſuam Venetorum Reipublicæ fidei acceptam debeat.

GE-

A) Faucibus eliſis præfocatam ac in præterfluentem Bozutham demerſam tradit M. Thuroczius Chron. pag. 350. Ejus Corpus IX. Februarii Ann, MCCCLXXXVII. Jadram delatum in Monaſterio S. Chriſogoni repoſitum fuit. Inde autem Ann. MCCCLXXXIX. die XVI. Januarii Budam devectum, regio tumulo illatum fuit.

Digitized by Google

TABULA III.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI II.

STEPHANUS V. Rex Hung. ✠ 1272.
Con. Eliſabetha.

Maria
Carolus II. Claudus Rex Siciliæ. ✠ 1308.

Carolus Martellus. ✠ 1295.
Con. Clementia.

Car. I. Rob. R. Hung.
Vide Tab. II.

Robert. D. Calab. R. Sic. ✠ 1343.
Con. a Jolanta.
b Sanctia.

a Carolus Dux Calab. ✠ 1328.
Con. a Catharina Auſtr.
b Maria Valleſia.

b Joanna Reg. Sic. ✠ 1382.
Marit. a Andreas ✠ 1345.
b Ludov. Tarent. ✠ 1362.
c Jacob. III. Rex Maj. ✠ 1375.
d Otto Brunſvicenſis ✠ 1387.

Ex a Carolus Martellus ✠ 1349.

Maria Poſthuma ✠ 1366.
Car. D. Dyr. cæſus 1347.

Margareta ✠ 1412.
Car. Parv. R. Sic. & H.

Phil. D. Tarent. ✠ 1332.
Vide Tab. II.

Joannes Dux Dyrrachii ✠ 1355.
Con. Agnes.

Carol. Dux Dyr. cæſ. ✠ 1347.
Con. Maria Poſthuma.

Lud. Comes Gravinæ ✠ 1362.
Con. Margareta.

Carolus Parvus R. Sic. & Hung. cæſ. 1385.
Con. Marg. Mariæ Poſth. filia ✠ 1412.

Ladisl. R. Sic. ✠ 1414.

Joanna R. Sic. ✠ 1435.
Wilhelmus Dux Auſtriæ.

SIGISMUNDUS
ROM. IMP. REX XXX.

A. C. MCCCLXXXVII.

SIGISMUNDUS.

Qua occaſione Regnum adeptus?

I.

Sigismundus, quem auxiliorum cauſa poſt nuptiarum ſolemnia in Bohemiam abiiſſe meminimus, paulo ſerius; quam & res ipſa, & conjugis amor poſcebat, auxilia attulit ad factiones exſtirpandas neceſſaria. Certe nemini non mirum apparere debet, eum tam diuturno tempore a Regia Hungarica, nobiliſſimaque ſponſa abfuiſſe, niſi forte accepta cædis Caroli fama, nil porro metuendum Reginis exiſtimarit. Hungariam cum aliquot Bohemorum Legionibus ingreſſus ubi Reginas in Horváthi eſſe poteſtate, Illiricumque omne partium ſtudiis flagrare comperit, vehementer anxius fuit; ſive quod non ſatis tutum putaret armis rem iis cum hoſtibus agere, in quorum manibus pignus longe pretioſiſſimum ſponſa Regina verſatetur; ſive quod Regia deſtitutus poteſtate, nihil ſe apud refracta-

rios

rios effecturum præviderct, donec ſceptrum conſequeretur. Itaque Sponſæ ſalute Illiricis Proceribus, Venetisque, qui auxilio venerant, commendata, inde Budam properavit, cum Hungaris de ſua inauguratione tractaturus, aderat in Sigismundi Comitatu Pantaleon Orator Venetus, qui a Duce ac Republica in mandatis habebat, ut Proceres Regni Sigismundo conciliaret, quod & ſedulo præſtitit. Interea nonnulli Hungari Reginæ regnique calamitate permoti, Budam confluxere: quo cum Sigismundus pariter adveniſſet, conventu celebrato, collatisque mutuo Conſiliis, utiliſſimum fore conſtituunt, nobiliſſimum Principem Regia augere dignitate, qui ſua deinde auctoritate turbas poſſit componere. Nil itaque cunctandum rati, Sigismundum Regem jubent, Albamque Regiam deductum per Demetrium S. R. E. Cardinalem Archiepiſcopum Strigonienſem, qua licuit in tanta Procerum paucitate pompa inaugurant Anno MCCC. LXXXVII. pridie Calend. Aprilis, qui

SIGISMUNDUS.

co

SIGISMUNDUS. obitum usque res Hungaricas moderata fuit. A)

Quomodo ſopitæ turbæ?

III. Reſtituta Regina, Sigismundus paulo liberius frangendis rebellibus quietique reducendæ vacavit. Qua in re incredibile, quanti ei fuere labores exhauriendi: potior Illirici pars etiamnum flagrabat incendio. Ad hæc in ea rerum perturbatione Tvartkus Rex Bosniæ ſe a ſacræ coronæ obedientia abjunxerat, conjuratosque ære, milite, aliisve modis adjutum ibat. Moldavi, Valachique palam jugum excuſſerant. Hos itaque ad obſequium revocaturus, An. MCCCXC. in Moldaviam primum cum exercitu profectus Sigismundus memorabili prælio rebelles fregit, adeo ut Ste-

A) Maria Regina libertati reddita Regiam iterum poteſtatem, ut ante uſurpare cepit. Cujus argumentum ſunt donationes plures, quas tum ſua fecit auctoritate talis eſt illa, quam Cl. Carolus Bel refert in Comment. de Maria Regina Hungariæ pag. 44. datæ ſunt laudatæ literæ Strigonii XV. Junii An. MCCCCLXXXVIII.

Digitized by Google

[redacted] SIGIS-MUNDUS.

Stephanus Provinciæ Vaivoda nihil in armis ſpei videns, ſupplex ad Sigismundum venerit, novoque jurejurando fidem, annuumque Sacræ Coronæ vectigal pollicitus, veniam perfacile etiam obtinuerit. Translatum inde anno inſequente in Bosniam bellum, quæ præcipuum erat rebellium perfugium: profligatis ſumma celeritate hoſtibus, obſeſſum ſine mora caſtrum Dobor in tractu Uſoræ ſitum, ac poſt acrem, diuturnamque obſidionem expugnatum: in quo præter alios, Joannis Horváthi jam ante proſcripti filius captus, exquiſitiſſimis poſtea ſuppliciis affectus fuit Quinque-Eccleſiis. Ad cumulum victoriæ acceſſit, qui demortuo Tvartko interea ſucceſſerat, Dabiſcia Rex Bosniæ Sacræ coronæ obedientiam profeſſus. Fractis hunc in modum rebellium in Bosnia viribus, ad Valachos An. MCCCXCII. progreſſus Sigismundus, his una atque Turcis edomitis, Nicopoli minore in Bulgaria expugnata, Hungaricoque communita præſidio, Myrchen Valachiæ Vaivodam armorum ſuorum terrore ad obſequium revocavit.

SIGISMUNDUS. ret Sigismundus, jus ſuum in Poloniam, quod libera totius gentis Polonicæ ſuffragatione vivo adhuc Socero ſuo Ludovico M. Zolii conſecutus fuerat in Hedvigem tranſtulit. Id quod circiter annum MCCC. XCIV. accidit: nec quidquam deinceps Uladislaus, quoad Hedvigis vixit, Hungarici Regni cauſa tentare auſus fuit. Graviſſimum nihilominus S. Coronæ Hungariæ damnum illatum fuit per Uladislaum, dum ejus hortatu Hedvigis Hungaris ejectis varia Ruſſiæ Rubræ loca occupare jam Ann. MCCCXC. cepit, continuatisque per annos ſingulos rapinis usque ad An. MCCC. XCIX. quo obiit, magnam Ruſſiæ Podoliæ-

gio; verum etiam Conjugis Mariæ conſenſu obtinuit. Jam in proœmio oſtendimus, nondum hæreditarium fœminarum jus ad S. Coronam hac periodo introductum fuiſſe. Qua propter Maria etiam non hæreditario jure; ſed voluntate Ludovici M. Patris per præfectionem, ut vocant, Ordinum Regni conſenſu confirmatam Sceptro potita fuit. Hedvigi autem Regnum Hungariæ ab Optimatibus Regni oblatum fuiſſe nusquam conſtat.

Digitized by Google

liaque partem, Hungaris necquidquam reclamantibus, eripuit.

SIGISMUNDUS.

Quid domi turbarum?

V. Ceterum peropportuna accidit hæc Polonorum ceſſatio, quod graviſſimo brevi incendio corripi cepit Hungaria, nonnullis ob mortem Mariæ cauſam rerum novandarum ſumentibus. Negabant Sigismundum paucorum Procerum ſuffragiis lectum legitimum eſſe Regem: Maria, quæ ſola Ludovici M. hæres erat, ſublata, liberam videri novi Regis optandi poteſtatem. Studia porro Procerum in tres fere abibant partes: alii Uladislaum Hedvigis conjugem: Albertum IV. Auſtriæ Ducem alii; denique Joannes Horvâthus ſuis cum aſſeclis Ladiſlaum Neapolitanum evocandum cenſuere. Hoc rerum poſitu Sigismundus, quo ſibi vires adverſum tot æmulos compararet, in Bohemiam receſſit; atque ut facilius a Wenceslao fratre auxilia impetraret, hunc, ſi ipſe ſine ſobole decederet, Hungarici Regni ſucceſſorem nominavit. Pactio hæc inſciis Regni optimatibus facta, ut vulgata fuit, vix dictu eſt, quantam Sigismundo

SIGISMUNDUS.

iis rerum rationibus conflarit invidiam; ut reducem poſtea palam deteſtarentur, nullaque, quemadmodum decebat, Regem honoris, ac reverentiæ ſignificatione percolerent. Ea re ille vehementius commotus, paulo ſeverius ſibi cum conjuratis agendum putavit. Itaque Stephanum de Konth nobiliſſimo ac vetuſtiſſimo apud Hungaros Hedervariorum prognatum ſanguine cum tricenis aliis nobilibus ex inſidiis comprehenſos Budæ in vico S. Georgii jam An. MCCCXCIII. capite multari juſſit; id quod graviſſimos in Illirico præcipue excivit motus: qui non leviter poſtea ob Stephani de Latzk Vaivodæ Tranſilvaniæ cædem aucti ſunt, quem Criſii, ſeu Körös Udvarhelyini An. MCCCXCV. die XXVI. Februarii A) e medio comitiorum conſeſſu correptum, ante omnium ora, oculosque una cum nepote

A) Supplicium de Stephano Wayvoda ſumtum M. Thurotzius affigit circiter ad An. MCCCCIV. poſt Sigismundi e Cuſtodia eliberationem; at potior habenda fides Paulo de Paulo qui in diario ſuo, eum quem notavimus annum & diem ſtatuit.

Digitized by Google

nepote obtruncatum, e feneſtra in ſubjectam plateam præcipitem agi curarat Sigismundus.

SIGISMUNDUS.

VI. Compreſſis hunc in modum ſeditioſis, averſos ſuorum animos inſigni aliquo facinore ſibi conciliaturus, toto pectore in bellum Turcicum incubuit. Conſcripto ex Hungaris exercitu, multisque e Gallia, Belgio & Bohemia auctus ſuppetiis, accelerato itinere paucos intra dies Bulgariam ingreſſus eſt; ubi fugatis Turcarum copiis majorem Nicopolim obſedit. Bajazetes Turcarum Sultanus ex interceptis, quas Manuel Græcorum Imp. ad Sigismundum miſerat, litteris Chriſtianorum edoctus conſilia, prius quam Græcæ adeſſent copiæ, Sigismundum aggrediendum putavit. Curatis itaque corporibus, & jumentis, ſignum profectioni dat, Adrianopolique digreſſus tertiis caſtris ad Nicopolim conſtitit: tum IV. Calendas Octobris acie ex ritu gentis diſpoſita, Chriſtianos ſumma vi adoritur: pertinaciſſima continuo dimicatio oborta, victoria inter utramque aciem diu al-

Quantum auctæ clade Nicopolitana?

SIGISMUNDUS. arce Viſſegradenſi carceri mancipaverint, exilio ſubinde multandum. Facinoris hujus, vel furoris cauſam narrant ſeveritatem, qua in refractarios uſus fuerat, ac quod omnium ferebant graviſſime, intemperantem ejus libidinem, qua poſt conjugis obitum nobiliſſimos thoros, Virginesque invadebat, quo uno vitio laudes ceteras obſcuravit A).

VII.

„ Suevos, Francones & Rhenanos e ſuis terris velut pecora Domino deſtituta exegere. - - - Ita „ Rex Sigismundus Captivus a ſuismet Miniſterialibus ductus eſt in arcem Blindenburg, *Wiſſegrad* inde porro in Domum Gara, ubi duodeviginti hebdomadas in Carcere exegit. „ Bonfinius pluresque alii Sigismundi captivitatem ad An. MCCCCI. affigunt: at potior mihi videtur Windeckii auctoritas, qui eorum temporum æqualis Sigismundoque familiaris fuit. Nota hic ex tranſitu Sigismundum cum in cuſtodia ageret, voviſſe DEO Baſilicam in memoriam D. Michaelis Archangeli; ſi ſalvus inde exiret; voti compos pariter ſe voti religione liberavit, condita Regio ſumtu, operis magnifici æde ſacra Claudiopoli, cui A. MCCCCXIV. ſuprema fuit manus impoſita.

A) Chronic. M. Thurotzii id meminit: „ Nec „ mi-

Digitized by Google

VII. Agente in cuſtodia Rege, factioſi Budam, Strigonium, Agriam aliasque urbes, & arces nobiliores Ladislai Neapolitani nomine occuparant. Uladislaus vero Polonus contra fas omne, Hungaros totius pene Ruſſiæ poſſeſſione, cui ab An. MCXCV. fere CCVI. annis varia fortuna dominati ſunt, dejecit, Sigismundo necquidquam poſtea ſua repetente. Interea Nicolaus de Gara pro inſigni ſua in legitimum Regem fide, datis factioni Ladislajanæ fratre Joanne, filioque Nicolao obſidibus a), Sigismundum ad arcem ſuam Szi-

SIGISMUNDUS.

Quomodo quies Hungariæ reddita?

L 5 klo-

„ minus ipſe Rex ſoluto Thoro, carnis diſſolutus „ in laſciviam, Virginum violentæ deditus corru„ ptioni Hungaris opprobrio erat. „ pag. 366. Exteri quoque paſſim hoc vitio Sigismundum notant.

a) Liquet ex diplomate Sigismundi Garnis data An. MCCCCVIII. In Annal. Reg. pag. 202. Addit Windeckius Hermannum II. Comitem Cilejæ Nicolao de Gara filiam ſuam *Annam* in matrimonium obtuliſſe, ut tam illuſtris ſponſæ ſpe eundem ad urgendam Sigismundi e carcere liberationem paulo acrius accenderet. Itaque jam tum ſponſalia contracta fuiſſe inter Nicolaum de Gara & Annam Ciliejenſem.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS. kloſiam transferri impetravit, ſummoque ſtudio egit cum Hungariæ Proceribus, ut ſublatis odiis, eosdem ad Regis ſui obedientiam revocaret. Commemorata facinoris, quo ſe obſtringebant, atrocitate, ac una graviſſimis, quæ e novi Regis optatione imminebant, calamitatibus ob oculos poſitis, pleroſque facti pœnitentia, pacisque deſiderio complevit. Eo itaque arbitro, delata popularium ad Sigismundum poſtulata, examinataque ſunt: poſtquam pacis ineundæ conditiones utrinque fuiſſent probatæ, promiſſaque reis omnibus venia, ſine mora Proceres Sigismundo ſummo cum honore e cuſtodia, in qua prope quinque menſes exegerat, educto priſtinam reſtituere dignitatem A). Hunc in modum ſibi,

A) Juvat hic ipſum Sigismundum audire loquentem: „ Dum igitur diebus non paucis ipſe Nicolaus „ per ſuos ſudoroſos labores inter noſtram Celſitu„ dinem, & præſcriptos Prælatos & Barones pro „ ejusdem pacis obtentu multimodos feciſſet tra„ ctatus, ad ultimum Dei diſponente clementia, in „ cujus

ſibi, ſolioque redditus Sigismundus, ut commutata vitæ ratione, ſiniſtris de ſe anſam præcideret ſermonibus, ad nuptias applicuit animum, tum vero Garajanæ ſtirpi gratiam redditurus, Hermanni II. Comitis Cilejenſis a) filiam Barbaram, Annæ Nicolai de Gara conjugis ſororem ſibi deſpondit, nuptiæ tamen, quod Barbara conjugio per ætatem impar eſſet, nonniſi VII. poſt anno, domitis refractariis, paceque Regno reddita, celebratæ ſunt A. MCCCCVIII.

[redacted]
SIGIS-MUNDUS.

VIII.

„ cujus manu omnia continentur, „ idem Nicolaus „ prætactos tractatus pacis inceptos & diutius ruminatos fine, via, & modo tam laudabilibus terminavit; quod noſtra perſona ex præſcripta detentione ejusdem Nicolai Palatini laboribus - - - erepta, priſtinoque regimini, diademati, - - - realiter & integre reſtituta exſtitit pleno cum effectu. „ Ibidem.

a) Hermanni II. cognatam, ac Wilhelmi Ciliæ Comitis filiam Uladislaus Jagello Rex Poloniæ poſt Hedvigis obitum ſibi matrimonio conjunxerat. An. MCCCCI. Vide Tabellam Genealogicam Comitum Cilejæ.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS.

Quid in Dalmatia damni a Ladislao Rege Neapolitano?

VIII. Hungaria quidem non multo poſt a civili bello conquievit: qui enim adhuc ſupererant contumaces, partim ſponte ſua oblatam ſibi a Rege clementiam ſunt amplexi, A) partim armorum vi debellati fuere. Nam præter Hungaricas copias non contemnenda a fratre Wenceslao, & Alberto IV. Auſtriæ Duce æmulo prius, nunc vero ſucceſſionis ſpe opportune conciliato B), auxilia impetraverat, quibus omnibus tri-

A) Litteras, quibus A. MCCCCIII. amneſtia promulgata, vide in Corp. Juris patrii.

B) Antiquatis, quas prius cum Wenceslao fratre confecerat, tabulis, nova pactione Albertum IV. hæredem Hungarici Regni pronunciavit, ſi ipſe absque liberis aliquando decederet, idque A. MCCCCI. Pactio hæc, quia inſciis Regni optimatibus inita erat, vix dictu; quantum Sigismundo apud Hungaros odii confleverit. Nil enim tum Sigismundo juris erat de ſucceſſore diſponendi in Regno, quod ſecunda periodo electivum fuit. Porro A. MCCCCXI. conſentientibus Regni Ordinibus ejusdem Alberti IV. filius Albertus V. Eliſabetham Sigismundi filiam adhuc infantem ſibi deſpondit. Quia vero Sigismundo nulla ſpes maſculæ prolis fuit, idem ſubinde Regis & Regni conſenſu ſucceſſor declaratus erat æquato cum conjuge jure ſceptro potiturus.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS.

triſariam diviſis, hoſtes perſecutus, ex Hungaria penitus exegit. In Illirico paulo diutius mali vis perduravit: Ladislaus enim Neapolitanus crebris Joannis Horváthi, & ejus aſſeclarum invitationibus permotus Corcyræque Inſulæ XXX. aureorum millibus venditione liberam a Venetis per Adriaticum pactus navigationem A), menſe Auguſto Anni MCCCCIII. Jadram appulit, ſolennique ritu illic a factioſis inauguratus, ſubinde Auranam, Traguriam, Sibenicum, Spalatum ceterasque maritimas urbes eorundem opera in fidem recepit; ut adeo totam pene Dalmatiam Sigismundo eripuerit. Commoratus aliquamdiu in Illirico Ladislaus, cum ob conciliatos Regi Hungarorum animos nihil ad occupandum Hungariæ Regnum ſpei ſibi eſſe cerneret; Joanne Horvátho Spalati Duce creato, & Dalmatiæ Vicaria poteſtate præfecto, Neapolim

A) Venditio hæc peracta eſt A. MCCCCI. die XVI. Auguſti, ut tradit Lucius Lib. V. Cap. IV. notandum obiter per ea tempora Dyrrachium & cetera in Epiro loca ad Venetos defeciſſe.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS. lim ſe recepit. Incredibile quantum perfidus hic Horvathus, damni ſacræ Coronæ attulerit, quod eum Sigismundus pluribus annis tyrannidem exercere ſiverit, non ſatis ære militeque inſtructus, ad frangendum hominem, initis cum Turcarum gente & Tvartko Scuro Bosniæ Rege fæderibus egregie communitum. Accedebat Dalmatinarum urbium firmitas cum ob munimentorum ſoliditatem, tum vero Neapolitanum militem opportunis locis præſidio collocatum.

Qua ratione recepta Dalmatia?

IX. Quanquam aliæ etiam non deerant belli hujus differendi rationes. Sigismundus enim totus interea in id incubuit, ut Hungaros paulo amplius ſibi adſtringeret. Quapropter bene de ſe meritos opibus, honoribusque excoluit ampliſſimis: & quoniam motuum inteſtinorum tempore ærarii Regii rationes exhauſtæ, privata non minus, quam communia jura perturbata admodum fuere, indicto An. MCCCCIV. genti univerſæ conventu, ſapientiſſimis legibus damnorum fontes obſtruxit non ſine pri-

Digitized by Google

SIGISMUNDUS.

privatis ſuis, communibusque ſingulorum emolumentis A). His actis, cum tuta domi viderentur omnia, conſcripto ex Hungaris, Cumanis & Tranſilvanis LX. millium exercitu in Bosniam Latronum receptaculum properavit. Miles & præſentia, & cohortatione Regis animatus, tanta vi in hoſtem forte obvium eſt illatus, ut inſigni victoria potiretur Sigismundus. Nam præter Tvartkum Scurum Regem, centum viginti ſex partim e Proceribus Bosnenſibus, partim e Nobilibus in victorum venere poteſtatem, ac hi quidem omnes ſine diſcrimine capite truncati e caſtro Dobor in præterfluentem acti ſunt: Rex vero Tvartkus Budam in triumphum abductus An. MCCCCVIII. Tam memorabilis victoriæ lætitiam nuptiarum cum Barbara Regina celebritas cumulavit, fructus vero longe uberrimus inde exſtitit: Dalmatiæ enim urbes præcipuæ victoris iram veritæ, certatim ſuos ad Sigismundum miſere nuncios,

A) Decretum Comitiorum, lege in Codice Jur. Patrii, latum autem eſt A. MCCCCIV.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS. cios, veniaque obtenta, & priſtinis juribus ſuis vivere permiſſæ, in ſacræ Coronæ clientelam poſtliminio rediere. Qua re commotus Joannes Horváthus & ipſe per Legatos erratorum condonationem imploravit. Sigismundus probe gnarus, quantum perfidi hominis potentia ad res ſuas in Dalmatia ſtabiliendas adferret momenti, facile in gratiam recepto Spalatenſis Ducatus titulos, & poſſeſſionem A. MCCCCIX. confirmavit. A) Sic tum Sigismundus levi negotio magnam Dalmatiæ partem, ſi Jadrenſem urbem Neapolitano præſidio communitam demas, recuperavit; at multæ jam urbes, & Inſulæ ad Venetos redierant. Ladislaus rebus, quæ interea acciderant, cognitis, cum ſe a conjuratis deſtitutum, neque Jadram, ſi Sigismundus bellum proſequeretur, diu ſtaturam perviderer, ut ali-

A) Annal. Reg, ad Ann. MCCCCIX. Verum Joannes Horváthus non multo poſt ad priſtinam rediit perfidiam, exilio, bonorumque proſcriptione mulctatus; ut patet e diplomate Sigismundi, dato Pulſanii A. MCCCCXIII. ut habetur ibidem ad an. cit.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS.

aliquid ſaltem inde caperet emolumenti, atque Hungaris in perpetuum ægre faceret, Jadram urbem ac una totum ſuum, quod quidem nullum erat, in Dalmatiam jus centum aureorum millibus Venetorum Reipublicæ tranſcripſit; ut incertum, quid potius mireris; an Ladislai rem non ſuam vendentis audaciam; an Venetorum ea in ditione ab iniquo uſurpatore emenda facilitatem. a)

Quæ occaſio belli Veneti?

X. Sed neque Veneti eam venditionem ratam fore putabant, niſi Regis Sigismundi, & ordinum Regni conſenſione roboraretur. Quare & hanc, & Oſtrovitzæ, quam finitimo cum agro V. aureorum millibus obtinuerant, emptionem ab Hungaris ſibi confirmari per Legatos petiit Michael Dux Venetiarum. Pollicebatur autem annis ſingulis equum purpura contectum Regibus Hungariæ a Venetorum Republica clien-

a) Tabulæ venditionis Dalmatiæ ſignatæ ſunt, Anno MCCCCIX, ut habetur apud Lucium, Libro V. Cap. V.

Digitized by Google

[redacted]
SIGIS-
MUNDUS.

clientelæ nomine oblatum iri ; ſi poſtulatis ſuis annueretur. Verum hæc non modo ab omnibus rejecta ſunt, ſed etiam bellum, niſi ditiones ablatas reſtituerent, in Venetos decretum. Prius tamen quam id inciperet Sigiſmundus, lites quæ ſibi cum Uladislao Rege Poloniæ intercedebant, componendas putavit. Hedvigis Regina, ut alibi meminimus, magnam Ruſſiæ & Podoliæ partem ab Hungaria avulſerat, poſt ejus obitum autem Uladislaus turbis Hungaricis in rem ſuam uſus, non modò genuina hæc Regna occupavit, verum etiam Alexandrum Wayvodam Moldaviæ ab obedientia S. Coronæ Hungaricæ abductum, ad jurandam ſibi fidelitatem adegit ; Has itaque alienationes pro eo ac par erat non diſſimulandas ratus Sigiſmundus, poſt multa ultro citroque agitata, Lubloviæ Conventum cum Uladislao A. MCCCCXII. habuit. Ubi poſtquam Poloni ipſi S. Coronæ Hungaricæ in dicta Regna: Ruſſiæ, Podoliæ, ac Moldaviæ jura agnoviſſent, communis quietis cauſa in hæc capita conventum fuit : Uladislaus Rex in Ruſſia & Po-

doliæ

doliæ poſſeſſione maneret durantibus induciis, quas ad quintum usque poſt alterutrius Regis obitum annum prorogare placuit: his elapſis, conventus Hungariæ & Poloniæ optimatum haberetur; ubi inſtaurata lite, examinatisque utriusque gentis juribus, illi cui æquitas faverit prædicta Regna Ruſſiæ & Podoliæ adjudicarentur. Idem fere de Moldavia conſtitutum a); ex quo luce meridiana clarius eſt, Hungaros his pactis ſolum ad tempus dictorum Regnorum poſſeſſionem Polonis ceſſiſſe, quin ſuis Sacræque Coronæ ſuæ juribus renunciarint. Conciliatis hunc in modum Polonis, Sigiſmundus metu omni liber cogitationes omnes tranſtulit ad Dalmatiam e manibus Venetorum vindicandam; verum, quod nervo belli careret, conſentientibus Regni ordinibus paulo poſt tredecim Scepuſii oppida pro XXXVII. millibus ſexage-

SIGISMUNDUS.

a) Tabulas fœderis An. MCCCCXII. die XV. Martii Lubloviæ ſignatas, editas lege in Annal. Reg. Hung. ad hunc Annum.

SIGIS-MUNDUS.

curatis quinquennalibus induciis, Ann. M. CCCCXXXIII.

Quomodo reſtituta per eum pax Eccleſiæ?

XII. Ceterum primo illo, atque inutili bello cum Venetis, ut meminimus, A. MCCCCXIII. terminato, continuo curas omnes pro eo, ac Romanorum decebat Cæſarem a), ad procurandam Eccleſiæ pacem convertit Sigismundus. Graviſſimo tum illa laborabat ſchismate: tres uno, eodemque tempore Pontificiam ſibi arrogabant ſedem: Gregorius XII. Benedictus de Luna, & noviſſime adverſus hos electus Joannes XXIII. Ut adeo univerſa Eccleſia Catholica tres in partes diviſa certum in terris ignoraret paſtorem, non ſine ingenti fide-

a) Primus dignitatem hanc in Hungariam intulit Sigismundus, poſt Ruperti Palatini Imp. obitum in Comitiis imperii cum electorum ſtudia ſententiæque variarent, fertur Sigismundus pro ſe ipſe tuliſſe ſuffragium: quod cum communi Principum reliquorum conſenſione probatum fuiſſet, Romanorum Cæſar ſalutatus fuit An. MCCCCX. atque IV. poſt anno una cum conjuge Barbara Corona Imperii Aquisgrani redimitus.

Digitized by Google

fidelium offenſione periculoque, quod ea tempeſtate heterodoxi virus ſuum per ovile Chriſti diſpergere ceperant. A) Fœdiſſimum id malum ut ocyus tolleretur, nulli labori, nulli ſumtui pepercit Sigismundus. Quia vero æmulorum nemo prior dignitate volebat decedere; neque niſi generali concilio videbatur malo finis imponi poſſe; Sigismundus Joannem XXIII. ad illud Conſtantiam indicendum adduxit. Ipſe deinde Regno Hungarico Barbaræ conjugi, & Joannis de Kaniſa Hungariæ Primatis fidei commendato B), domo digreſſus, Germaniam, Hiſpaniam, Galliam, Angliamque peragrans, compoſita inter diſſidentes Chriſtia-

SIGISMUNDUS.

A) Præter Joannem Wicleffum iisdem fere temporibus Joannes Huſs & Hieronymus Pragenſis Chriſti Eccleſiæ bellum intulere, atrociſſimasque in Bohemia turbas excitavere.

B) Hoc titulo tum utebatur Antiſtes: *Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis Aulæ Regis Romanorum ſummus Cancellarius, & in Regnis Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. Vicarius Generalis.* Hujus, uti & Reginæ conjugis decreta non niſi usque ad Sigismundi reditum robur obtinebant.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS.

toti Europæ procurandam, non lev tamen cum Regni Hungarici damno conjuncta. Abſente enim Rege, imprimis Barbara Regina neglectis creditæ ſibi Reipublicæ curis, in libidinem effuſa, Regium thorum frequentibus adulteriis contaminaverat. A) Cujus flagitii fama per Regnum ſparſa, multi ſpreta impudicæ mulieris auctoritate, impune leges violare cepere, mutuisque bonorum direptionibus, & incendiis in ſe ipſos deſævire. Odiis adhæc graviſſimis ab ſe invicem diſſidebant Proceres Regni, quæ non niſi Regia poſtea auctoritate ſunt reſtincta. B) Eodem tempore latrunculorum auda-

A) Crimen hoc acerbe vindicavit redux a Concilio Conſtant. Sigismundus: Barbaram enim una cum filia Eliſabetha aula ejectam, Varadinum in exilium ablegavit; ubi omni ſtipendio deſtituta, Canonicorum ejus Eccleſiæ beneficio vitam aliquamdiu duxit; nec niſi poſt multas Regni Hungariæ Ordinum preces, evoluto anno integro, in gratiam thorumque recepta fuit.

B) Fidem facit Decretum, quod majus vocamus Sigismundi An. MCCCCXXXV. editum in Cod. Jur. Patrii.

Digitized by Google

[redacted] SIGISMUNDUS.

audacia ſumſit exordium Blaſio quodam Duce, qui occupata Tyrnavia, univerſam brevi Matthæi quondam Trenchinienſis Regionem in ſuam poteſtatem redegerat, nec niſi oblata venia, & honeſtis conditionibus ad quietem revocari potuit. Omnium autem graviſſimum fuit geminum a ruſticis excitatum bellum; agriculturam pertæſis atque tumultuantibus Ducem ſe præbuit in Tranſilvania Antonius quidam: in Hungaria vero ad Samuſium amnem Martinus: uterque Regia appellatione aſſumta, magno agreſtium numero aucti, in nobilium cædem graſſabantur; quin etiam, ſi patriis Scriptoribus fides, ad Regnum omne ſuo dominio ſubjugandum aſpirabant homines viliſſimi. A) Contemptus initio riſuque acceptus inconditæ multitudinis tumultus, brevi magnam toto Regno attulit trepidationem. Creſcente in dies numero, & audacia ipſis ſucceſſibus animata, Oppida, Urbes & Provinciæ plures ab eis ſubjugatæ

ſunt,

A) M. Thurotzius in Chronico pag. 384. edit. Tyrnavienſis.

[redacted]

SIGISMUNDUS.

bus, omnem illam ſummam pignoris ſæpius jam ſolutam contenderent, atque idcirco citra pretium omne pignus repeterent, poſt graves utrinque contentiones re infecta diſceſſum fuit. Sed hæc leviora videri poſſunt, omnium autem graviſſima fuere vulnera, quæ, perturbata ſub imperio Sigismundi Republica, ſacræ Coronæ Hungaricæ ſunt inflicta, per Dalmatiam & Ruſſiam ab Hungariæ finibus, non item juribus avulſam. Ac Dalmatia quidem pene tota ad Venetos tranſiit, ex præcipuis urbibus *Spalatum*, *Raguſium*, *Corbavia*, *Segnia*, in fide S. Coronæ perſtitere; ceterum neque Sigismundus, neque Ordines Regni ſuis juribus in Dalmatiam renunciavere: Quin imo ad hæc propalam tuenda, etiam poſtquam Dalmatia amiſſa fuit, Epiſcopatuum ejusdem Regni nomina Diplomatibus Regiis inſerta ſunt a): more ad ſucceſ-

a) In literis An. MCCCCXXVI. datis hæc clauſula legitur: Datum per manus Joannis Epiſcopi Zagrabienſis Regis & Reginæ ſummi Cancellarii; Georgio Strigonienſi, Joanne Colocenſi, Doymo Spa-

ſucceſſores Reges transmiſſo. De Ruſſia pariter minore, Podolia ac Moldavia ſolli- SIGISMUNDUS. citus Sigismundus, in Conventu Anno MCCCCXII. ſatis habuit obtinuiſſe a Polonis, ut ſacræ Coronæ Hungaricæ in illa

Regna

Spalatenſi, Andrea Raguſienſi, Jadrenſi Sede Vacante Archiepiſcopis. Petro de Rozgony Agrienſi, Henrico Quinque-Eccleſ. Clemente Jaurinenſ. Joanne Veſprim. Ladislao de Marczal Chanad. Nicolao Vacien. Hincone Nitrienſi, Petro Corbav. Thoma Segnienſi, Boſnenſi, Tragurienſi, Scardonenſi, Sibenicenſi, Nonenſi, Tinninienſi, Macarienſi, Pharenſi, Sedibus vacantibus. Eodem modo in Decreto VI. Majore An. MCCCCXXXV. dato legitur. Georgio Strigonienſi, Joanne Colocenſi, Dionyſio Spalatenſi, Archi Epiſcopis, Jadrenſi Sede vacante. Petro de Rozgon Agrien. Varadinenſi Sede vacante, Georgio Lepes Tranſilvan. Zagrabienſi Sede vacante, Georgio Nitrien. Chanad. Sede vacante. Emerico Quinque-Eccleſ. Simone de Rozgon Veſprim. Clemente Jaurin. Vacienſi Sede vacante, Jacobo Sirmienſi, Joſepho Boſnen. Joanne Tinninien. Vito Corbav. Joanne de Dominis Segnien. Eccleſiarum Epiſc. Sibenicenſe, Novienſe, Scardonenſe, Tragurienſe, Macarienſe, & Pharenſe Sedibus vacantibus. Eccleſiis his vacantibus Hungariæ Reges ad jus ſuum teſtandum hodiedum Epiſcopos, quos titulares vocamus, nominare ſolent.

SIGISMUNDUS.

Regna jus ultro agnoſcerent ac conſiterentur: quo tempore Lubloviæ initi tractatus rurſus An. MCCCCXXIII. Keſmarkini renovati ſunt. Atque hac ratione Sigismundus jacturæ magnitudinem ſarſit, dum S. Coronæ ſuæ in amiſſas ditiones jura conſtabilivit, ſucceſſoribusque ſuis, quoniam ipſi tum vires deerant, vindicanda reliquit.

Quid commodi Hungariæ præſtitum a Sigismundo?

XIV. Quamvis multa, ut diximus, damna perpeſſa ſit Hungaria ob diuturnam Regis ſui domo abſentiam, multa nihilominus etiam commoda & ornamenta ex iis peregrinationibus in illam derivata ſunt. Quacunque enim per Europam ibat Sigismundus, curioſo ubivis oculo ſcrutabatur ſingula, elegantiſſimasque multarum rerum & conſuetudinum imagines menti ſuæ imprimebat, quas ſubinde ad exornandam Hungariam ſtudioſe adhibuit. Itineris hujus fructus fuit, inſtaurata ad elegantiam omnem Regia Budenſis, quam a Ludovico Magno ſocero & deceſſore ſuo inſigniter jam excultam, ipſe novis, operis ſane

quam

Digitized by Google

quam admirandi, ædibus ad eum ſplendoris apicem eduxit, ut nullam id temporis Aulam cum Budenſi, amplitudine & magnificentia, in contentionem venire potuiſſe oculati teſtes aſſeverare non dubitarint; A) Aulæ Budenſi jam A. MCCCLXXXIX, adjecit nobilem ſcientiarum Academiam B), liberali Profeſſoribus conſtituto ſtipendio; ſive quod Ludovicea illa Quinque-Eccleſiis in Regni finibus ſita, paulo eſſet remotior diſcipulis, e ſuperiore Hungaria convenire volentibus; ſive ut ipſe diſcentium & docentium ardorem coram accenderet, fructusque ſuis ipſe intueretur oculis. Quin etiam qua parte urbs Peſtum viſitur, ſu-

SIGISMUNDUS.

A) Teſtis hujus Magnificentiæ luculentiſſimus eſt Vindeckius Cap. LXX. qui omnium pene Europæ Regum & Principum aulas ſpectaverat, Sigismundo in itineribus Comes aſſiduus. Vide Pray in Annal. Reg. ad A. MCCCCXVI.

B) Academiæ hujus Cancellarii dignitate ornatus fuit veteris Budæ Præpoſitus. Typum Sigilli Academici Budenſis, æri inciſum vulgavit P. Péterfi Concil. Hung. Tom. I. pag. 288. Conſule ſpecimen Heraldicæ Hung. pag. 39.

SIGISMUNDUS.

gony, & Orſzágh, quæ ob res pro patria præclare geſtas etiamnum in litterarum monumentis vivunt. Hæc ad Regni Hungarici ornamenta pertinent; illud ad commoda: præter Illyricum aliasque Provincias, quas perfidiæ labes corripuerat, difficili diuturnoque labore ad S. Coronæ obſequium revocatas; poſtquam Turcarum in Europa crevit dominatus, Sigismundus plurimas in limitibus arces inſtruxit, validoque communivit præſidio, quas a privatis Dominis aut ære perſoluto, aut permu-

ratio-

ſuſceptum, ac ſubinde poſtquam adoleſcentiam attigiſſet, a Sigismundo Rege Caſtro de Hunyad cum ampliſſimis latifundiis donatum fuiſſe; Unde ei poſtea de Hunyad appellatio adhæſit. Matrem autem Joannis ferunt nuptui traditam Nobili cuidam Viro de Chonok, unde numeroſa Chonokoſiorum gens prognata fuit. His Chonokoſiis ampliſſima privilegia impertivit Joannes jam Gubernator literis An. MCCCCXLVIII. Feria II. proxima ante decollationem Joannis Baptiſtæ, datis: in quibus Egregios Woyk de Chonok, ac Ladislaum & Sandrinum filios ejusdem, nec non Daan filium Jarizlo Fratres ſuos condiviſionales appellat.

Digitized by Google

ratione redemerat, ut id genus limitaneorum munimentorum objectu hoſtes ab aditu Regni populationibusque arcerentur. Harum e numero fuit Taurunum ſive Belgradum Hungaris Nandor-Fejérvár, multo deinde Turcarum & Chriſtianorum ſanguine nobilitandum, pro quo atque una agro adjacente ampliſſimas Georgio Raſciæ Deſpotæ ejus Hero in Hungaria tranſcripſit poſſeſſiones. A)

SIGISMUNDUS.

XV. Atque hæc quinquaginta, queis Hungariæ præfuit, annorum intervallo a Sigismundo acta ſunt. Itaque tot laborum & ætatis pondere oppreſſus, vel potius Bohemicorum tumultuum B) tædio conſumtus

Qua tempeſtate obiit Sigismundus?

A) M. Thurotz. in Chronico pag. 383.

B) Wenceslao Inerte & a Joannis Nepomuceni cæde infami, e vivis ſine ſobole ſublato Anno MCCCCXIX. die XVII. Calend. Septemb. Regnum Bohemiæ naſcendi jure ad Sigismundum devolutum fuit. Quare anno inſequente III. Calend. Aug. ſolis Catholicis conſentientibus, ſine pompa ad S. Vitum inauguratus fuit: verum ex eo tempore ipſos XVI. annos

SIGISMUNDUS.

tus fuit Znoimæ in Moravia. Cum ultimam ſibi inſtare horam ſenſiſſet, convocatis, qui officii vel auxilii cauſa ei Bohemico bello præſto erant, Hungariæ Proceribus, majorem in modum commendavit, ut Albertum Auſtriæ Ducem generum ſuum, & Eliſabetham filiam æquali jure poſt ſe in Hungaria regnare ſinerent, qua de re dudum jam ante inter eum & Regni Proceres conventum fuerat. Illi Regi optime de ſe merito, ac jam jam morituro nihil negandum rati, annuere perlibenter, neminemque præter Albertum & Eliſabetham ſe lecturos fidem dedere. Hac ſolutus cura Sigismundus ultima Alberto circa Reipublicæ adminiſtrationem monita dedit; tum vero pro poteſtate præcepit, ne Barbaram Imperatricem conjugem ſuam, fœda libidine & perfidia inſuper notatam,

A)

---

annos atrociſſimum cum Joanne Ziska Huſſitarum Duce Regni cauſa bellum geſſit: dum denique Nobilitatis Catholicæ virtute fractis hoſtibus, concordia procurata, Bohemiæ poſſeſſionem paulo ante mortem adiret An. MCCCCXXXVI.

Digitized by Google

SIGISMUNDUS.

a) ac idcirco ab ſe in vincula conjectam, unquam e cuſtodia dimitteret. Dictata hac poena, extremis morientium ſacris ritu Catholico procuratus, in filiæ Eliſabethæ, Alberti Generi, ac Procerum circumſtantium corona iter æternitatis iniit V. nonas Decembris An. MCCCCXXXVII. annos natus LXX. Ejus corpus ut moriens caverat Varadinum delatum, ante D. Ladislai, quem præ ceteris colebat impenſius, altare, pone Mariæ Reginæ primæ conjugis oſſa tumulatum fuit. Erat Sigismundus excelſi ac ad res maximas aggrediendas capaciſſimi animi, in iis quæ ſtatuerat exequendis paulo remiſſior & tardior, id quod non

a) Perfida mulier cum virum ætate & morbis fractum faſtidiret, etſi ipſa fere quadragenaria jam erat, Uladislai Poloni Principis Adoleſcentis, poſtea Hungariæ Regis amores & nuptias ambire cepit per litteras & nuncios: dotis autem nomine excluſa filia Eliſabetha Bohemiam & Hungariam offerebat, quam pactionem ut ratam habere vellent, utriusque Regni Proceres ſollicitare non erubuit. Atque hoc nomen æterno carcere mulctandum ſibi putavit Sigismundus.

[redacted]

SIGIS-MUNDUS.

levi ſæpe cum damno accidit. Immodicos juventutis impetus & vitia cum ætate correxit. Regnum, quod principio odiis partiumque ſtudiis diſtractum adierat, prudentia & induſtria ſua ita demum compoſuit, ut Hungaros ſibi reddiderit quam addictiſſimos. Quanquam & ipſe eos diligebat luculentius, magnamque Illuſtrium virorum ex Hungaria multitudinem ſecum per Europam ducebat, qui non parum ad ejus itineris ſplendorem de ſuo contulerunt, nomenque Hungaricum per tot urbes & provincias illuſtrius reddiderunt. Omni literarum bonarumque artium genere cum inſigniter eſſet perpolitus, munificus litteratorum Mecænas fuit & Cenſor. Fidei & Eccleſiæ Catholicæ cum Regnorum vitæque periculo ſollicite conſtanterque favit. Adulatores cane pejus, & angue oderat A) ex adverſo eos, qui illum ſincere de erratis admonebant, amicorum loco habuit. Multis

A) Adulatorem quendam laudes ſibi in os ingerentem, impacta alapa feriit: quærentique, cur me cædis? repoſuit Sigismundus: cur me mordes?

is per vitam omnem jactatus adverſis caſibus, bello & conjugio infeliciſſimus fuit. SIGISMUNDUS.

ALBERTUS ROM. IMP. REX XXXI.

A. C. MCCCCXXXVIII. ALBERTUS.

I.

Qua cautione coronatus?

VAradino a funere Sigismundi reduces Optimates Hungari Albam convenere: ubi tametſi ultimam Regis defuncti voluntatem magnopere probarent; non prius tamen inaugurationem Alberti faciendam cenſuerunt, quam is caveret, neque ambiturum ſe Germaniæ Imperium, neque ſi offeretur, citra Ordinum Hungariæ conſenſionem admiſſurum. Verebantur quippe, ne Alberto Imperii cauſa abſente, quidpiam reſpublica detrimenti, ut Sigismundo imperante factum ſenſere, acciperet. Non iniqua ſuorum poſtulata cum il-

ALBERTUS.

lier improba, ex Hungaria in Poloniam fuga elapſa, Polonos ad bellum Alberto inferendum, quanquam inutili conatu, ſollicitabat. Tanta perfidia Albertus, Regnique ordines pro eo, ac par erat offenſi, Barbaram bonis omnibus privatam, hoſtem Reipublicæ declarant. Ita infelix mulier e ſummo dignitatis gradu ad ultimam delapſa calamitatem, humanæ fortunæ ludibrium fuit: nam non multo poſt a Polonis pariter Regno ejecta, Regino-Hradecium in Bohemiam ſe recepit, actaque prius pœnitentia XII. poſt anno, ſive MCCCCLI. die ſecunda Februarii vitam clauſit.

Quæ laude vixit Albertus?

III. Turbis his non diu ſuperſtes Albertus biennium non integrum in Regno exegit: ea tamen exiguo illo tempore pietatis, prudentiæ & æquitatis edidit ſpecimina, e quibus quantus olim futurus fuiſſet, clare intelligebant ſui. Priusquam bello Turcico ſe accingerent, comitia ad Peſtanos coegit campos. Exploratis ibi ſumma diligentia rebus omnibus, quæ ad commodum Rei-

publicæ

publicæ facere videbantur, veteres primum Hungarorum immunitates ratas habuit; tum rem politicam & œconomicam ſapientiſſime ordinavit: Judiciorum, & militiæ faciendæ rationem ſingilatim deſcripſit, itaque tanta prudentia, & æquitate, ut Decretum illius ea occaſione latum non poſſit, niſi ſumma cum voluptate legi a). Terminatis ſumma omnium cum approbatione comitiis, in Turcas profectus, cum ſe copiarum morbis magnopere attritarum numero Amurathi CXXX. millium exercitum ducenti multo cerneret inferiorem, relicta hoſti Senderovia, ne tentata quidem pugna, domum rediit, nova conſcripturus ſupplementa. Verum poſtrema hæc fuere conſilia. Dum enim Buda Viennam iter habet, ex profluvio ventris, quem immodico peponum eſu exaſperaverat, in longo vico, quem Hungari Hoſzſzufalu vocant, vel juxta alios in Nesmil VI. Calendas Novembris, Anno MCCCCXXXIX. extinctus, graviſſimis Hungariam turbis objecit,

ALBERTUS.

Cor-

a) In Codice Juris Patrii.

Digitized by Google

ELISABETHA.

plus aſſertum iret, præcipuos Procerum adduxit, ut novo Sacramento fidem ſuam ſibi, & naſcituro obſtringerent filio. Verum, ut nil eſt in humanis ſtabile, non multo poſt illi vereri cepere, ut mulier ceteroquin prudens, perturbatis iis Regnorum omnium rationibus, regendo par eſſet. In Bohemia ob Huſſitarum potentiam nihil quietum tutumque apparebat: lites cum Polonis nondum deſierant. Omnium autem maxime anxios faciebat creſcens in dies Amurathis potentia, quem audita Alberti morte bellum proſecuturum nemo dubitabat: incerti ad hæc erant puerumne Regina vel puellam editura eſſet: Itaque, Duce Joanne de Hunyad Bano Severinenſi, multi Procerum in aulam conveniunt, Reginæque ſuos exponunt metus, atque una orant, ut quid ipſa iis rerum rationibus exiſtimet, candide aperiret. Ea periculi & timoris exaggeratione perculſa Regina, majus viribus pondus ſibi incumbere ultro confeſſa fuit. Nec mora: actum de remedio; pleriſque ea placuit ſententia; ut Eliſabethæ Mulieri adhuc vegetæ

mari-

Digitized by Google

ELISABETHA.

maritus daretur, qui prudentia, & fortitudine ſua conjugem adjutum iret: quod ſi proximo partu filium daret, is in Bohemicis, Auſtriacisque ditionibus Alberto Patri ſuccederet; ſi quem autem e novo conjugio ſuſcepiſſet, hæres Hungariæ institueretur; ſic & Reginæ dignitati, & prolium ſecuritati optime conſultum iri. Annuit conſilio perlibenter Eliſabetha, quod, incertum, quibus e ſignis fœminam ſe in utero geſtare arbitraretur. a) De ſponſo non diu deliberatum: lectus is eſt Uladislaus, Uladislai Jagellonis Poloniæ Regis filius, juvenis non tam corporis, quam animi dotibus ſpectatiſſimus. Non deerant Hungaris aliæ etiam Uladislaum eligendi cauſæ, meminerant enim ab ejus parente Jagellone, Ruſſiam rubram, Podoliam, Moldaviamque Hungariæ fuiſſe ereptam, incaſſumque poſtea ſæpius de earum reſtitutione Polonos interpellatos fuiſſe: ut jam nulla; niſi bello, ſpes eſſet amiſſa recuperandi. Itaque non vane exiſtimabant, Uladislaum

a) Chron. pag. 393.

Digitized by Google

ELISABETHA.

tam inopinato beneficio obſtrictum, haud gravate Hungarorum votis ſubſcripturum, Ruſſiamque, Podoliam, & Moldaviam ſine mora S. Coronæ Hungariæ Dominio reſtiturum: Denique videbant multum virum adverſus Turcas Hungariæ ex Regni Polonici conjunctione acceſſurum. Id quod tantopere cordi erat Ludovico M. Regi. Quare miſſi continuo in Poloniam Legati: Joannes Segnienſis Epiſcopus, Matthæus de Palotz Illirici Banus, Joannes de Perény Tavernicorum, Ladislaus de Palotz Curiæ Regiæ, & Emericus de Martzali dapiferorum Magiſtri, qui Reginæ Eliſabethæ, & univerſi Regni nomine Uladislaum in Hungariam evocarent, ſi is prius conditionibus Regni totius nomine ſibi offerendis ſubſcribere in animum induceret, ſolennique edito diplomate fidem daret. A)

II.

A) Juvat hic conditiones ab Hungaris Uladislao propoſitas ſtrictim recenſere: Inaugurationis tempore Uladislaus jurejurando ſemet obliget, ad Jura, Libertates & approbatas conſuetudines Hungariæ obſer-

ELISABETHA.

Edito filio quomodo mutata?

II. Nondum Legati Poloniam attigerant, cum Eliſabetha præter omnium exſpectationem VIII. Calendas Martias An. MCCCCXL. puerum enixa fuit, a Dionyſio Strigon. Archiepiſcopo Ladislaum in ſacro fonte appellatum. Perculit ea res

O 2 vehe-

ſervandas, id ipſumque pro recepto more, ſolenni diplomate caveat. Factæ per Eliſabetham Reginam Viduam Donationes inviolatæ maneant. Hungariam adverſus quosvis hoſtes Polonicis copiis fideliter Rex adjutum eat; & viciſſim Poloniam auxiliis Hungaricis. Totis viribus in id incumbat, ut jura & Ditiones ad Hungariam ſpectantes a quibuscunque poſſeſſoribus vindicentur. De Ruſſia, Podolia, & Moldavia lis ex æquo dirimatur. Caſtrum Lublyo cum XIII. oppidis Scepuſienſibus pignori datum Polonis, primo quoque tempore Hungariæ reſtituatur. Læſæ Majeſtatis reis, e Regno proſcriptis nulla venia concedatur: neque Barbaræ Imperatrici reditus in Hungariam pateat. Hæc fuere tum Hungariæ Oratorum poſtulata, ad quæ implenda Uladislaus Rex ſeſe Polonis conſentientibus ultro obſtrinxit, ut fidem facit Diploma, datum Cracoviæ VIII. Martii An. MCCCCXL. Regio & XX. Magnatum Sigillis communitum, editum eſt in *Prævia explicatione Jurium Hungariæ in Ruſſiam minorem, & Podoliam.* pag. 18.

Digitized by Google

ELISABETHA.

vehementius Procerum animos, ſtudiaque diviſit; Reginæ vero Ulrici Cilejenſis Comitis perſuaſionibus in transverſum actæ, novas conflavit curas: ſive enim novarum eam tæderet nuptiarum; ſive Regnum Hungariæ nollet Ladislao filio eripi, Proceres impenſius oratos voluit; ut miſſis quam celerrime aliis in Poloniam nunciis, abrogatis prioribus pactis, Legatos domum revocarent. Quod cum Strigonienſi Antiſtiti, pluribusque aliis placuiſſet; miſſus quidem in Poloniam extemplo nuncius, ſed qui ſero nimis Cracoviam appulit. Jam enim Uladislaus oblatam ſibi Coronam, conjugium & conditiones propoſitas admiſerat, tabulæque ſubinde ex Legatorum mente confectæ, ſignatæque fuerant VIII. Martii Anni ejusdem: quas ubi Proceres habito Budæ conventu probaviſſent, Uladislaus nil jam de Regni Hungarici poſſeſſione dubitans, cunctis ad iter diſpoſitis, in Hungariam Legatis comitantibus properavit. Ejus adventu cognito Eliſabetha cum favente ſibi Procerum parte Albam Regiam ſe contulit: ubi Dionyſius Archi-

Epi-

Digitized by Google

ELISABETHA.

Epiſcopus Ladislaum infantem ſacro oleo delibutum Regio diademate incinxit, ipſo Pentecoſtes die anni ejusdem, Ulrico Cilejenſi Comite, qui jam tum omnia arbitrio ſuo miſcebat, pro infante Rege ſolitum ordinibus Sacramentum dicente. Peracta inauguratione, dum coronationis inſignia Viſſegradi in arce pro more conduntur, connivente haud dubie Ladislao de Gara, Arcis & Coronæ Cuſtode, Eliſabetha clam abductum diadema in ſuam redegit potestatem, diuturnis olim bellis occaſionem daturum: tum vero Jaurinum ſe recepit, bello quod evitari non poterat, res neceſſarias procuratura. Eum in finem datis Caſſoviam, ad aliasque ſibi faventes civitates litteris, ſingulas ad fidem ſibi conſtanter retinendam animavit. Atque hac ratione inconſtans mulier Ulrici Comitis Cilejenſis intempeſtivis Conſiliis obſecuta, inteſtino bello facem accendit, longa annorum ſerie flagraturam, resque ſuas, quas conſtabilitum ibat, penitus afflixit: fere enim ex hac animorum Eliſabethæ Reginæ, & Uladislai Regis cauſa diviſione, reliqui hac

ELISABETHA.

hac periodo motus inteſtini originem ſumſiſſe, Hungariaque in ſe deſæviens, quaſi febri quadam vires depaſcente, ſenſim labefactari inque caſum inclinare cepit: ut res ſecuturas diligentius expendenti patebit.

ULADISLAUS I.

REX XXXIII.

A. C. MCCCCLX.

ULADISLAUS I.

Quo ritu coronatus Uladislaus?

I.

HÆc inter Uladislaus Hungariam emenſus, atque a Proceribus Budam deductus, reſerante urbis portas Laurentio de Hedervara Palatino Comite, ſolenni pompa in arcem invectus fuit. Lapſis diebus aliquot, cum ob Ulrici Cilejenſis artes, nulla concordiæ Reginam inter, & novum Regem componendæ ſpes appareret, placuit cunctis coronationem ocyus accelerare; quod ea peracta, pleroſque deſerta Regina ad Uladislaum tranſituros exiſtimarent. Ubi Albam Regiam perventum

fuit,

fuit, tum primum Reginæ aſtu ſubductum ſenſere diadema; qua de cauſa tanta cunctos inceſſerat indignatio, ut niſi Uladislaus ſua obſtitiſſet auctoritate, Ladislaum de Gara ob proditum illud pignus conciſum iri fuiſſent. Sedatis aliquantum animis, e veſtigio novum ſenatus conſultum perlatum eſt; ut ea, quæ D. Stephani ſimulacro incumbebat corona, inauguraretur Uladiſlaus, atque iſtud ita ratum foret; quaſi conſueto diademate fuiſſet inſignitus. Hac itaque ratione ſervatis ceteris pro more ritibus, coronatio novi Regis a Dionyſio Strigonienſi Antiſtite minis ad id adacto peracta fuit VI. Calend. Auguſti Ann. MCCCCXL. Editæ eodem tempore ſolennes ab Ordinibus tabulæ, quibus novi hujus moris ratione reddita, Ladislai infantis unctio irrita pronunciatur, bellum denique in Eliſabetham decretum. ULADISLAUS I.

II. Nil his omnibus territa Regina ad ſuas, filiique res tuendas extremas adhibere vires decrevit. Croatiæ omnis agente Ladislao de Gara in ejus fide perſtabat, non Quam atrox inde bellum?

Digitized by Google

ULADISLAUS I.

minus ea, quam trans danubianam dicimus, Hungariæ portio, cui Ulricus Cilejenſis præerat. Caſſovia, montanæque urbes omnes Uladislaum deteſtabantur; cumque in his plurimum ſibi eſſe auxilii ſentiret Eliſabetha, præter alios clari nominis viros, Joannem Giskra de Brandeis e Bohemia cum copiis evocatum Saroſſienſem creavit Comitem, montanamque Regionem ejusdem fidei tuendam commendavit. Neque ſegnior Uladislaus ad vim inferendam fuit: diviſis trifariam copiis, bellum in Croatia adverſus Garam Joanni de Hunyad, ultra danubium Banfio de Lindva: in Giskram denique Nicolao de Perény gerendum commiſit. Atque hunc in modum accenſis utrinque facibus, civili bello ardebat infelix Hungaria, non ſine multorum innocentum ſanguine. Quo tempore Eliſabetha deficiente belli nervo, ſacroſanctum illud gentis Hungaricæ diadema pro bis mille quingentis aureis Hungaricis Friderico Cæſari in biennium locavit pignori: poſt paulo eadem de cauſa V. aureorum millia, cum IX. ac rurſum duo millia in belli im-

penſas

Digitized by Google

[redacted]
ULADISLAUS I.

penſas ab eodem mutuum accepit; denique urgente rurſum neceſſitate, tradita urbe Sopronienſi, VIII. aureorum millia obtinuit: ut adeo ſumma nominis variis temporibus per Eliſabetham contracti eſſet XXVII. mille D. Aurei. Omni hoc ære conſumto, quod ſe continuando diutius bello imparem ſentiret Regina vidua, quo filii ſecuritati proſpiceret, Fridericum Cæſarem Tutorem nominavit, eidemque pupillum educandum transſcripſit. Præceps hoc utrumque conſilium poſtquam etiam fidiſſimis ſuorum vehementer diſplicere, partesque ſuas ea de cauſa mirum quantum diminui ſenſit Regina; facti pœnitens, commutata repente voluntate, diadema Regium cum Ladislao filio a Friderico per nuncios repetiit; at ille deguſtata tam opportunæ rebus ſuis tutelæ dulcedine captus utrumque conſtantiſſime recuſavit, graviter id ferente Eliſabetha; nil tamen, quod viribus deſtituta eſſet, contra moliri auſa.

Digitized by Google

[redacted]
ULADIS-
LAUS I.

Quomodo exſtinctum?

III. Eugenius IV. Pontifex de turbis Hungariæ edoctus, commodum ſub idem tempus Julianum Cæſarinum. S. R. E. Cardinalem in Hungariam miſerat, pacem inter æmulos tentaturum. Is imperata ſtrenue executurus, varias illis ineundæ concordiæ propoſuerat rationes, quæ tamen alterutri diſplicebant parti. A) Ad extremum

A) Cætera inter ab Eliſabetha id propoſitum: ut Uladislaus abdicato Regis titulo, tutorio nomine, dum Ladislaus Poſthumus adoleſceret, Hungariam regeret: filiarum Alberti alteram Caſimirus Lithuaniæ imperans conjugem acciperet, alteram Uladislaus. „ Ceterum *ut Callimachus Lib. II. ait*: „ compenſandis impendiis ea in expeditione *ſemper in Hungariam* factis, terra Scepuſienſis perpetuo jure addiceretur Poloniæ Regno: Hungari vero ſua ſponte ac bona fide antiquarent quamcunque actionem & *jus, quod aut in Podolia; aut in Walachia* lege *Moldavia habere ſe crederent.* „ Conditiones hæ placuere Uladislao & Polonis; at Hungarorum præcipuis vehementer ditionum & jurium Hungariæ alienatio diſplicebat: imprimis autem Joanni de Hunyad, qui rogatus in hæc verba reſponderat: „ Si Regina perſeveraret „ inire id fœdus, in quo ſui ſuorumque *ideſt pre-* „ *lium*

[redacted] ULADISLAUS I.

num eo negotium adductum; ut data fide Uladislaus ad Eliſabetham Jaurinum ſe conferret; inde exactis diebus aliquot reducem viciſſim Budæ inviſeret Regina; qua privata tractatione non de amicitia modo, verum etiam ineundo, cum vidua ipſa connubio, eos inter convenerat; ea lege ut Uladislaus Ladislaum Poſthumum & S. Coronam a Friderico Cæſare Hungariæ reſtitui impetraret, ſed illud effectu caruit; quod Eliſabetha Jaurinum reverſa tridui morbo non ſine veneni ſuſpicione humanis rebus ſit exemta IX. Calend. Jan. A. MCCCCXLII. a) Præclara ſane, & excelſi ſupra fæminam animi mulier, meliore plane digna for-

---

„ lium habita ratione, membra regni, *intellige Ruſſiam, Podoliam, Moldaviam, & Scepuſium*, non ſolum ad tempus poſſidenda exteris traderet, verum etiam a corpore ſuo perpetuo alienaret; omni ope reſiſtendum eſſe „ hæc ille ut fidum patriæ civem decebat. Conſule de hoc ceteriſque Uladislai geſtis Callimachum inter Scriptores Hung. Editionis Tyrnav. Part. II. pag. 39.

a) Teſtis hujus eſt Æneas Silvius in Annalibus Reg. Hung. ad an. cit.

Digitized by Google

[redacted]

ULADISLAUS I.

ſortunæ, cujus prudentiæ, ſi relicta fuiſſet Reſpublica, inſigni cum laude haud dubie præfutura erat Hungariæ, fontemque obſtructura graviſſimis illis litibus, quæ poſtea Ladiſlai Poſthumi cauſa Hungaros cum Friderico Cæſare & Hunyadiam domum cum Cilejenſibus involverunt. Huc quidem nunquam res evaſiſſent, ſi Eliſabetha Joannis de Hunyad viri belli & pacis artibus clariſſimi, atque una integerrimi Conſilia iis, quæ Ulricus Cilejenſis homo arrogans, rerumque ſuarum etiam cum communi damno ſtudioſus ſuggerebat, prætuliſſet.

[redacted]

Quæ fortuna adverſum Turcas?

IV. Sopito potius, quam ſublato per mortem Reginæ civili bello, moleſtior a Turcis imminebat procella. Adeo enim interea temporis ſuum auxere dominatum, ut Tranſalpinos Deſpotas ſibi tributarios effecerint: ultra Danubium vero Belgradum usque eorum pateret imperium; cui præ ceteris urbi imminebant. Et vero civilium in Hungaria diſcordiarum tempore utiliter uſurus Amurathes eam ſeptem menſium obſidione preſſerat; ſed Joannis Auranæ Prio-

Prioris virtute ſpe dejectus, re infecta diſceſſit, bellum majoribus poſtea viribus inſtauraturus. Conſilia hæc in perniciem Reipublicæ Chriſtianæ, quoniam minime latebant Uladislaum, Joanni de Hunyad Vaivodæ Tranſilvaniæ dignitate, nec non Temeſienſis, & Severinenſis Bani præfectura ornato totam belli adminiſtrandi provinciam, felici ſane omine tradidit. Is novis auctus honoribus, novos pariter concepit ignes, continuisque cum hoſte præliis tam illuſtres reportavit victorias; ut nominis ſui famam per univerſum orbem feliciſſime propagarit. Ex his celebriores erant : ad Belgradum in Servia : in Tranſilvania altera, qua non modo Dux ipſe Turcarum Mezithes cum XX. millibus cæſus, verum etiam Moldaviæ, & Valachiæ Deſpotæ ad obſequium S. Coronæ revocati ſunt. His ſucceſſibus animatus Uladislaus, & ipſe in ejus gloriæ communionem venire ardebat. Biennales itaque cum Friderico & Bohemis A) pactus inducias, florentiſſimo cum

A) Joannes Giskra, Petrus Komorovſzki aliique

Digitized by Google

ULADISLAUS I.

a Caramaniæ regulo, pluribusque aliis jugum Turcicum proſpere excutientibus, ſollicite diſpicere cepit; qua ratione ſemet diſcrimini ſubduceret. Quoniam autem graviſſima omnium tempeſtas ei ab Hungaris incumbebat, miſſis ad Uladislaum Legatis, pacem in decennium ſupplex petiit. Uladislaus aliquamdiu dubius, ea potiſſimum de cauſa ejus tractationem admiſit; quod turbis in Polonia exortis ſua illic præſentia mederi vellet. Itaque in eo conventum: Bulgariam retineret Amurathes; reliquæ autem Sacræ Coronæ ditiones ad Hungaros redirent omnes. Quæ in tabulas continuo relata pro more ſignata ſunt. Ad majus autem tabularum robur, uſitata id temporis nuncupandi juramenti forma, Rex coram Sacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento ſemet ad pacem ſervandam obſtrinxit. A) Atque hinc exorta fabula de tradito Turcis Pane Euchariſtico.

VI.

A) Exempla hujus generis juramentorum recenſentur in Hungaria diplomatica temporibus Mathiæ de Hunyad Regis Hung. Cl. Stephani Kaprinai pag. 118.

ULADISLAUS I.

Cur abrupta?

VI. Vix Oratores Turcæ diſceſſerant, cum adſunt a Franciſco Cardinale Alberino Florentinæ claſſis Præfecto litteræ, quibus de peſſimo rerum Turcicarum in Archipelago ſtatu, ſuoque adventu Regem edocebat; a Joanne item Caſtrioto: in quibus, ut poſtulatum erat, cum XXX. ſuorum millibus propediem ſe in Thraciam appulſurum ſignificabat. Ea res & Regem, & Hungaros ſtupore quodam, & pudore defixerat; quod tantos Chriſtianorum apparatus, adverſum fœderis initi rationes, tam ſubito & improvide confecta pace deſtituerint. His curis anxios obruere Joannis Junioris Palæologi Imperatoris litteræ: ſcribebat is, vehementer ſe mirari, Regem Hungariæ commutata voluntate, adverſum ſolennia, totiesque repetita promiſſa, ſocios turpiter deſeruiſſe, & quidem in medio victoriarum curſu, non ſine gravi rei Chriſtianæ periculo, & ſociorum damno, qui ab Hungaris in fœdus pertracti, immenſos magno ſumtu in bellum feciſſent apparatus: addebat Oratores Turcas exploratores potius; quam Legatos fuiſſe Amurathis: ut

ULADISLAUS I.

itum ab omnibus, tantusque præſentes ardor inceſſerat; ut novo jurejurando ſe ad proſequendum cum ſociis in Turcas bellum, Rex una atque Proceres obſtrinxerint. Atque hinc ſatis opinor perſpicue intelligi poteſt, an Eugenius Pontifex perjurii, violatæque pacis auctor dici poſſit? Quanquam Hungaris ſatius erat ſancitas cum Turcis quacunque demum ratione inducias cuſtodire, quam ſemet inſtabili ſociorum, præcipue Græcorum fidei credere.

Quid de clade Varnenſi?

VII. His e ſententia conſtitutis, & novo delectu auctis Hungarorum copiis, bellum continuo in Thraciam translatum fuit. Initia lætiſſima proſperos ſpondebant ſucceſſus: pleræque enim urbes, & oppida aut vi, aut deditione in Hungarorum concedebant dominationem: atque ſic Varnam usque haud procul Euxino ponto ſitam urbem ventum fuit. Eodem non multo poſt hoſtilium armorum ſtrepitu ex Aſia revocatus pervenit Amurathes, graviterque de ruptis induciis conqueſtus fuit. Poſtquam diebus aliquot mutuo in conſpectu adverſæ con-

Digitized by Google

conſtitere acies, prior Amurathes IV. idus Novembris in Hungaros minime imparatos impetum fecit. Diu, magnisque animis protracta pugna, ſemel ac iterum ſumma vi repulſi Turcæ: inſtabant cedentibus Hungari, ſolutisque ordinibus paulo ulterius, quam militandi ratio poſtularet, progreſſi ſunt: hic rurſum majori, quam ante furore, inſtaurato prælio, vincebantur Hungari; niſi Joannes de Hunyad opem tuliſſet laborantibus, impetumque delecta cum militum manu ſuſtinuiſſet. Uladislaus, quem a diebus aliquot ægrotantem in caſtris remanere juſſerat Joannes de Hunyad, ſuorum fortitudine, & ſucceſſu ad ſuam pariter virtutem exercendam, quærendamque ferro gloriam accenſus, ubi omnium maxime fervebat prælium, repente ſe miſcuit pugnantibus. Jam jam inclinabat Turcorum acies, victoriaque in Hungarorum fuit manibus; cum Rex temeritate potius, quam conſilio ſubditis equo calcaribus in hoſtes procurrit, vibratoque in omnem partem enſe, ſtragem edit longe maximam. Illi nova hac impreſſione in extremam verſi

ULADISLAUS I.

ULADISLAUS I.

rabiem ultimas pariter ad ſe tuendos vires adhibent. Cum en! pugnandum inter læſo gravius ſonipede, Rex medios inter hoſtes humi prolabitur, jacentique per Janitsaros caput præciditur. Infelici eo caſu Turcis crevere animi; Hungaros autem adeo primus ille ardor deſtituerat; ut impetum non ferentes amplius, in effuſam abierint fugam. Amurathes ob multa ſuorum millia eo prælio amiſſa animo æger, vetuit fugientes inſequi, collectisque vaſis in Aſiam remeavit: *id genus triumphos ſuis ſe hoſtibus precari*, dicere poſtea ſolitus. Apud Hungaros minor jactura fuit; ſed quam Regis Uladislai cædes funeſtavit. Ejus corpus militari tumulo conditum: caput vero per Aſiam in ſignum victoriæ a Turcis circumlatum. Julianus Cardinalis infauſtus belli ſuaſor e pugna ſuperſtes a Valachis in fuga trucidatus, in præterfluentem demerſus fuit. Atque hic erat Uladislai exitus, documento futuri, Regum vitam, ſalutemque nunquam temere diſcrimini eſſe objiciendam. Præfuit Hungaris tribus annis totidemque menſibus, Princeps pieta-

te,

Digitized by Google

te, morumque probitate inſignis; genero-ſo, atque liberali animo; eo ſolo apud exteros notatus, quod Ladislao Poſthumo pupillo Regi Regnum eripuerit: verum ii, qui vel hæc, quæ de ejus eligendi occaſione ſtrictim narravimus, accuratius examinaverint, facile eum ab omni labe excuſabunt. Nam & Eliſabethæ Reginæ voluntate, & unanimi Ordinum conſenſu ad ſolium Hungaricum evocatus fuit; poſtquam autem Ulrici Cilejenſis Comitis ad dominatum aſpirantis artibus mens Reginæ commutata fuit, turpe exiſtimavit Generoſi animi Princeps, dimiſſo, quod legitime ſibi oblatum acceperat, Regno, ſemet orbis univerſi ludibrio exponere: ipſi etiam Hungariæ ordines indignum putabant, rejecto, quem ultro accerſiverant Rege, inconſtantiæ notam incurrere.

ULADISLAUS I.

Digitized by Google

TABULA IV.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI II.

Wladiſlaus Jagello Rex Poloniæ ✠ 1434.
Con. a Hedvigis Ludov. M. Hung. Regis filia ✠ 1399.
b Anna Wilhelmi Comitis Cilejenſis filia ✠ 1416.
c Eliſabetha Polona ✠ 1419.
d Sophia Kievienſis Ducis filia ✠ 1461.

Ex d Uladiſlaus I. Rex Hung. & Polon. ad Varnam cæſus 1444.

d Caſimirus IV. Rex Polon. ✠ 1492.
Eliſabetha Alberti II. Imp. Hung. R. filia ✠ 1505.

Uladiſlaus II. Rex Hung. & Boh. Vide Tab. VII.

S. Caſimirus. Dux

Joannes Albert. Rex Poloniæ ✠ 1501.

Alexander Rex Pol. ✠ 1506.

Sigiſmundus Rex Poloniæ ✠ 1548. Con. a Barbara Scepuſienſis. b Bona Sfortia Mediol.

Ex b Iſabella
Joannes de Zapolya R. Hung.

JOANNES DE HUNYAD, HUNG. GUB. A. C. MCCCCXLVI.

JOANNES GUBERN.

Qua tempeſtate electus Gubernator?

I.

A Miſſo ad Varnam Uladislao, aliquamdiu interregnum fuit: Joannes de Hunyad nihilominus rem militarem, ut ante procuravit. Hieme tranquille exacta, placuit comitia ad campos Peſtanos indicere, quæ etiam ad diem Pentecoſtes Anno MCCCCXLV. coaluere. Quæſtione de optando Rege habita, & Hunyadii & reliquorum Procerum ſententia Ladislao poſthumo Regnum confirmatum, unaque ſancitum, eo vivente, quemquam ad ſolium evocare nefas eſſet. Quia vero pueri Regis ætas turcico tum bello preſſæ & domeſticis Bohemos inter & Hungaros diſſidiis ſciſſæ Hungariæ impar erat, Hunyadius Vicarius Generalis A) per Hungariam conſtitutus.

 tutus.

A) Hoc titulo uſus legitur Joannes principio jam A. MCCCCXLVI. ut videre eſt in litteris apud Cl. Kaprinai Hung. Diplom. pag. 95. nota f.

JOANNES GUBERN.

qui cum Friderico de concordia tranſigerent. Poſt multas deliberationes Ulrici Cilejenſis opera pax demum ita coaluit: Jaurinum cum vicina regione Hungaris redderetur, Ladislaus usque ad maturiorem Regno ætatem ſub cura Friderici adoleſceret: illius uſibus annis ſingulis XXIV. aureorum millia ex Hungaria ſubmitterentur, utrinque demum ab hoſtilitatibus inferendis ceſſaretur.

Qua fortuna pugnatum cum Turcis?

III. Hac cura ſolutus Gubernator toto conatu in bellum Turcicum incubuit. Conſcripto ex XXVI. millibus exercitu in Thraciam movit. Tum præterita urbe Sophia ad Coſanam, Hungaris Campum Merularum, conſtitit. Non multo poſt adfuere LXXX. Turcarum millia: XV. Calendas Novembris An. MCCCCXLVIII. prælium magno utrinque ardore ceptum, totoque die continuatum nox ita diremit, ut Turcæ priores receptui canerent. Hungari eo ſucceſſu minime contenti, refectis modico cibo corporibus, ad prælii locum redeunt, atque ſub auroram pugnam redintegrant. Dimicatum iterum paribus utrinque animis,

non

non item viribus; retuliſſentque victoriam Hungari, niſi Joannes Székely Cataphractorum Ductor, contra quam Gubernator juſſerat, deſerta ſtatione longius ab acie procurriſſet. Tum enim vero Turcæ, quod numero prævalerent, Hungaros indagine cingunt, cædunt, ac demum profligant; poſtquam XXXIV. ſuorum millia amiſiſſent: ex Hungaris VIII. ſolum deſiderata. Gubernator ipſe captus minimeque agnitus ferro, quod cuſtodi ſuo Turcæ eripuerat, viam ſibi aperuit, poſt multosque errores a) incolumis in Hungariam rediit. Infelix hæc pugna gravem Gubernatori apud Chriſtianos Principes conflavit invidiam. Certe Nicolaus V. Pontifex datis ad Hungaros litteris

JOANNES GUBERN.

a) In fuga interceptus a Georgio Raſciæ Deſpota S. Coronæ Hungaricæ fiduciario, non prius libertatem obtinuit, quam jurejurando promitteret, ſe Matthiæ filio Ulrici Cilejenſis, qui Georgii gener fuit, filiam Eliſabetham conjugem accepturum. Factum id etiam; ſponſa pro ejus ætatis more continuo in Hunyadii domum translata, ſed priusquam matrimonium iniri poſſet, præmatura morte ſublata fuit.

Digitized by Google

JOANNES GUBERN. teris a proſequendo infelici bello eos dehortatus monuit, ne vires tanto impares hoſti incaſſum prodigerent, Turcisque ſucceſſu ipſo animatis in Europam faciliores aperirent aditus. Quæ res eo gravius animum Gubernatoris exulceravit, quod videret nonnullos populares ſuos turpi gloriæ ſuæ æmulatione correptos, non modo de ea clade gaviſos, verum etiam in milite rebusque ad bellum neceſſariis ſubminiſtrandis ſegniores fuiſſe.

Quomodo item cum Giskra?

IV. Neque domi feliciore uſus fuit marte adverſum Giskram, ceterosque Bohemos Duces, publicæ quietis turbatores. Ut continuis eorum populationibus modum poneret, Loſoncium Latrocinantium latibulum obſidere decrevit An. MCCCCLI. Eum in finem vicinorum comitatuum nobiles admonuit, ut ad ſe ocyus expeditis cum cohortibus properarent. Venere illi magno numero, non tam expeditionem adjuturi, quam conceptum diu facinus effectu completuri. Multi enim fuere ex Hungaris, qui bellicam Gubernatoris indolem,

Digitized by Google

JOANNES GUBERN.

lem, ſeveraque non ferentes imperia, nihil minus; quam proſperos illi cupiebant ſucceſſus, A) quo ſic hominem in communem apud populares adducerent invidiam. Talibus itaque Hunyadius auctus ſupplementis Monaſterium S. Stephani in arcis formam a Bohemis communitum prope Loſoncium arctiſſima cingit obſidione: ut jam præſidiarii de arce honeſtis dedenda conditionibus cogitarent. Interea clam evocatus a conjuratis adeſt Giskra delecta cum militum manu, ſuis opem laturus, nocteque concubia in caſtra Gubernatoris aggreſſionem facit. Neque diu Bohemis pugnandum fuit: conjurati enim deſertis turpiter ſignis, aut ad hoſtem tranſitionem fecere, aut fuga dilapſi ſunt: B) ut adeo

paucæ

A) „Quanto, *inquit M. Thuroczius.* Cap. „XLVIII. res ipſius Domini Gubernatoris via pro„ſperiori dirigebatur, tanto magis plurimi Domi„norum in illum occulta tumebant invidia."

B) „Hanc quidem proditionem *ut habet M.* „*Thuroczius loc. cit.* Vir Magnificus Stephanus de

„Pel-

JOANNES GUBERN.

paucæ Gubernatoris cohortes, ſuperiori longe hoſti terga vertere cogerentur: Cecidere eo prælio Joannes Kompolthy de Nána Epiſcopus Agrienſis, & Ladislaus de Hedervara. Dux ipſe ægre in fuga ſalutem invenit. Inſtaurato ſubinde bello complura loca ac nominatim Clauſtrum Saag, Rosnaviam, Neoſolium Giskræ eripuit. Verum quia Bohemorum potentiam in dies augeri, ac ipſa nonnullorum Hungarorum gloriæ ſuæ invidorum acceſſione firmari vidit Gubernator, a) fractus animo languidius rem gerere cepit, ac ad pacem applicuit animum.

Quæ Hunyadii & ſociorum ſtudia pro Ladislao?

V. Atque ſiniſtri hi ſucceſſus, contrariaque multorum in ſe ſtudia in cauſa fuere; ut Gubernator curas ſuas omnes ad Ladislaum poſthumum e Friderici manibus elibe-

„ Pelſewcz munitione ſub prætacta fortuito icta „ Bombardæ ad mortem vulneratus; antequam mo„ reretur, proprio ore exſtitit confeſſus. „

a) Conſule M. Thuroczii Caput XLVIII. & XLIX.

Digitized by Google

liberandum, atque in Hungariam reducendum converteret. Videbat enim non obſcure, ad communem regni quietem unam illius deſiderari præſentiam. Eum in finem Viennam profectus, cum Auſtriacos Bohemos & Moravos in eandem ſecum pertraxiſſet ſententiam, viſum eſt cunctis, non niſi recepto Principe ſuo conquieſcere. Longum, tædiive plenum foret cuncta hoc in negotio acta, incredibileſque gentium harum labores commemorare. Cum variis artibus, precibus, legationibuſve ſæpius iteratis nil proficerent, Pontificis Nicolai V. opem implorarunt. Verum hoc jam a Cæſare, qui tutelam tam pinguem invitus dimittebat, prævento; quoniam nulla Regis ſui potiundi ſpes affulgebat uſpiam, communi conſilio bellum Friderico Cæſari denunciatum eſt. Nec mora, copias Neoſtadio, ubi Cæſar ſuo cum Pupillo morabatur, admovent, muroſque urbis acri verberatione ſine intermiſſione quatiunt; per intervalla tamen Cæſarem de pace interpellant. Poſt toleratam aliquamdiu oppugnationem, cum obſidentes minime ceſ-

JOANNES GUBERN.

Digitized by Google

LADISLAUS V.

ros degeret, A) liqueſcebant pene gaudio Hungari: neque ſatis aſpectu, & colloquio nobiliſſimi adoleſcentis ſatiari poterant. Tanta duodenni puero inerat gravitas cum clementia conjuncta, pietas, atque prudentia; ut vel inviti laudatiſſimam, quam a Friderico Cæſare acceperat, inſtitutionem mirari, commendareque cogerentur. Non multos poſt dies adfuit Viennæ Joannes de Hunyad, dignitateque Gubernatoris ſeptennio ab ſe geſta ultro ſemet abdicavit. Ladislaus Rex inſignem ejus fidem, & tot ſua, Regnique cauſa toleratos remuneraturus labores, erecto in publico Viennæ foro ſuggeſtu, aurea ſede ſublimis, Regioque amictus paludamento eidem Biſtricenſem in Tranſilvania comitatum dono dedit, atque una perpetuum illius Provinciæ Comitem ſolenni poſtea edito Budæ diplomate creavit. B) His ſub anni exitum geſtis

A) Æneas Silvius in geſtis Friderici III. cit. in Annal. pag. 122.

B) Diploma hoc ſane quam elegans eſt, omnemque Joannis Gubernatoris vitam complectitur. Præterea

geſtis Optimates Hungari domum conceſſere, idoneos ad Regem ſuum excipiendum apparatus interea facturi. Sub anni ſequentis principium maxima iterum frequencia, & ſplendore Poſonium confluxere Antiſtites ac Proceres; quos brevi conſecutus Ladislaus Rex præſtito pro more jurejurando, atque una accepto a ſuis fidei Sacramento, Regni poſſeſſionem auſpica-

LADISLAUS V.

terea natalium ejus conditionem non obſcure explicat, cum omiſſa, ut alias fieri ſolet, majorum memoria, diſerte ait: Joannem „ ſuis ſudoribus, vir„ tute, ingenio, vigiliis, eo aſcendiſſe, quo plurimi „ aliena ope, & ſuorum majorum titulis irrupere; „ quin etiam eum poſteris & naſcendis nominis de„ cus & dignitatis initium attuliſſe.„ Non igitur id a majoribus acceperat. Ex eodem diplomate eruitur, Joanni cognominem fuiſſe fratrem militem ſane quam egregium. Inſcriptio ſepulcralis, quam Albæ Carolinæ in Principe Tranſilvaniæ Baſilica; An. MDCCLXXIII. Die XIX. Septembris ipſemet inſpexi, apellat Joannem Militem de Hunyad fratrem Joannis Gubernatoris, an autem germanus Gubernatoris fuerit: aut cognatus ſolum vel agnatus, quos fratres nuncupare apud Hungaros moris fuit; nil certi habeo dicere. Diploma vide in Annal. Reg. Hung. ad hunc annum.

Digitized by Google

LADISLAUS V.

cus fuit An. MCCCCLIII. a) a nativitate & coronatione ſua duodecimo exeunte.

Quæ ſors Cilejenſis Comitis?

II. Regni initia ea erant, quæ non ſacis tranquillum Ladislai imperium fore indicabant. Joanne enim Hunyadio, qui ſeptennio Hungariæ Gubernator præfuit, cujus virtuti Ládislaus regnum ſervatum debuit, ab aulæ negotiis penitus remoto, Ulricus Cilejæ Comes Gubernator creatus ita Regem in poteſtate habebat: nunquam ut ab ejus abeſſet latere, cuncta ipſe ſolus moderaretur, neque ulli ſeorſim Regis alloquendi fieret copia; ut adeo non elapſus e cuſtodia, ſed mutaſſe ſolum carcerem videretur Ladislaus. Quod autem minime ferendum erat: homo arrogans, Regis puerili abuſus ætate, præcipuos quosque in omni natione viros nominatim Joannem de Hunyad criminationibus ſuis in ſuſpicionem adduxerat. Auſtriaci, apud quos tum ex Hungaria redux morabatur Ladislaus, eam Ulrici

a) Editas ea tempeſtate litteras lege in Codice Jur. Patrii.

Ulrici potentiam non ferentes, Conventum Ordinum Auſtriæ Viennæ haberi impetrant. Ut dies illuxit, Ulricus Regem e veſtigio ſecutus, deſtinatum conſultationi locum ingredi volens exeſſe juſſus fuit propterea, quod veteri apud Auſtriacos lege receptum erat, ne gentis comitiis exterus intereſſet. Hac arte remoto inviſo ſibi capite, Eyczingerus Auſtriacus, Vir ingenio, fide, prudentia, & eloquentia ſpectatiſſimus, cujus præcipuæ olim in eliberando Ladislao erant partes, accepta loquendi licentia, Ulrici avaritiam, arrogantiam, maledicentiam, & effuſam in quosvis thoros licentiam adeo copioſe, ac ad fidem faciendam appoſite explicuit; ut Ladislaus tot criminum indignitate commotus, Ulricum e Gubernatoris, primique adminiſtri dignitate dejectum procul ab ſe, & aula ſine mora faceſſere juſſerit. Qua ille ſi mente poſtea etiam perſtitiſſet, multis fontem obſtruxiſſet calamitatibus. Inde flexo in Bohemiam itinere, Ladislaus Pragæ corona inſignitus, perluſtrata Sileſia, & Moravia, Viennam revertit incolumis.

LADISLAUS V.

LADISLAUS V.

Quæ novæ ejus fraudes?

III. Hæc inter triſtiſſimi ex Oriente nuncii appulere; Urbem Conſtantinopolitanam a Mahomete Turcarum Domino expugnatam, direptamque fuiſſe. a) Quæ res totius pene Europæ curas non mediocriter acuit, præcipue Hungarorum, quibus vicinus ardebat Ucalegon. Quò itaque tempeſtive ſe adverſus vim compararent, Regem orabant; ut habito Budæ conventu, de belli gerendi rationibus deliberationem institueret, generaliſque inſurrectionis leges communi conſenſu deſcriptæ ſtabilirentur. Factum id eſt anni inſequentis MCCCCLIV. prin-

a) Ultimo Orientis Imperatore Conſtantino Palæologo inter propugnandum cæſo, Urbs illa Orientis Domina capta eſt die XXIX. Maj. A. MCCCCLIII. eaque pœna juſto Dei judicio multati Græci, ut qui JEſu Chriſti in terris Vicario Eccleſiæ Capiti obedire adeo arroganter detrectarant, duriſſimum Mahometis jugum ſubire cogerentur: Atque hoc tempore everſo Græcorum imperio, ſcientiæ bonæque artes omnes iisdem ruinis conſepultæ ſunt: Græciaque tot olim Sapientum, tot SS. Eccleſiæ Patrum Mater, ignorantiæ Sedes evaſit. Conſule de hac oppugnatione poſt Vet. Script. Epit. Hiſt. Bizant. ad an. cit.

principio, majore, quam unquam ſtudio, quemadmodum e decreto illic perlato eſt colligere. a) Ante omnia Joanni de Hunyad ſupremum in copias bellique adminiſtrationem imperium collatum fuit. Tum æris colligendi, militisque quam maximo numero in caſtra adducendi ratio præſcripta. Atque hac occaſione amicorum, quales Garajani fuere, opera, Ulricus Cilejæ Comes magno Reipublicæ damno, in Regis Ladislai gratiam receptus fuit, ea potiſſimum de cauſa; quod ejus opes & potentia ad Turcici belli apparatum utiles fore videbantur. Ea res Eyczingerum pluresque alios Auſtriæ Proceres adeo commovit, ut Aula & Urbe Viennenſi deſerta, ſpontaneum elegerint exilium, peſſima quæque e nequiſſimi hominis molitionibus ominantes. Neque ſecus res accidit: ut primum Regem denuo in poteſtate habuit Ulricus, quo ſe ei neceſſarium efficeret, turpiſſimis criminationibus in potentiores quosvis præſertim Hungaros ſævire cepit.

LADISLAUS V.

Q 5 In-

a) In Codice Juris Patrii.

LADISLAUS V.

quodam cum per confictas Regio nomine litteras in Auſtriam accerſitus adveniſſet Joannes Hunyadius, atque inſidias ſicariis ipſis fatentibus, manifeſto detexiſſet, ipſumque Ulricum crimen negare non auſum & jam trepidantem in poteſtate haberet, ea fuit in acerbiſſimum hoſtem ſuum benevolentia, ut ſatis putaverit, eum de turpiſſimo crimine amice quidem at nervoſe reprehendiſſe, cetera nullo affectum maleficio aut contumelia, liberum abire ſiverit, A) quod unum Chriſtianæ virtutis exemplum ad ejus integritatem declarandam ſatis eſſe poterat. Ulricus eo diſcrimine perfunctus, aliquantum a vi fraudibusque abſtinuit: at Hungariæ Proceres veriti, ne ea Regem inter inanibus ſuſpicionibus laborantem, & Hunyadium diſſidia in Reipublicæ detrimentum vergerent, curas ſuas omnes ad Regem præſtantiſſimo Heroi conciliandum convertere. Præcipuas in negotio hoc par-

A) Fraudes Ulrici & machinationes fuſius deſcriptas lege ex Æneas Silvio in Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCCLIV. pag. 143. & ſequ.

Digitized by Google

partes egit Dionyſius Strigonienſis Archi-epiſcopus, qui evulſis utriusque ex animo ſuſpicionum nubeculis, concordiam his demum reduxit pactionibus: Hunyadius Capitanei Generalis nomine ſupremam armorum præfecturam gereret: arces finitimas ſuo regeret imperio, ceteras regiis hominibus reſtitueret: denique filiorum alterum Matthiam in aulam transmitteret, inter adoleſcentes nobiles illic educandum; reipſa obſidis loco apud Regem cuſtodiendum: ex quo ſane quanta Rex Ladislaus in meritiſſimum fidiſſimumque virum diffidentia laboravit, facile quisque intelligere poterit. Hæc fuſius narrari oportuit, ut Ulrici necis, quæ brevi ſecuta eſt, cauſæ clarius jam nunc cognoſcerentur.

LADISLAUS V.

IV. Opportuno ſane tempore hæc concordia inita fuit, quod Mahometes expugnata Conſtantinopoli tumidus, totis viribus ad oppugnandum Belgradum appropinquare ferebatur. Itaque Hunyadius e Budenſium comitiorum, quæ A. MCCCCLIV. celebrata ſunt, placitis, inſtaurato novis

Qua clade pulſus Belgrado Turca?

ſup-

Digitized by Google

LADISLAUS V.

ſupplementis exercitu, ſtrenue ad bellum apparandum incumbebat. Per idem tempus acceſſere Cruce ſignati, quos B. Joannes Capiſtranus ex Ord. S. Franciſci a Caliſto III. Pontifice miſſus, ad ſacrum bellum concionibus ſuis exciverat: Poſtquam autem An. MCCCCLVI. die XII. Junii ducenta Turcarum millia Belgrado circumfuſa fama fuit, Hunyadius cum Capiſtrano ſecundo danubio eo properavere. Ubi ad urbis conſpectum Hungarica claſſis venit, commiſſo navali prælio, Hunyadius inſigni potitus victoria, disjectis Turcarum navigiis, aditum ſibi ſuiſque in arcem aperuit, ac ſine mora novo recentique milite præſidium refecit. Ea clade nil turbati Turcæ, majore quam antea numero machinas mœnibus admovent, ac ſine intermiſſione muros quatiunt; qui ubi ingentem traxere ruinam, Mahometes ſub noctis crepuſculum aggreſſionem ſuis imperat, productaque diu pugna non ſine maxima tamen ſuorum cæde exteriori caſtro potitur. Actum jam de arcis ſalute videbatur, ſi Turcis ſtatio capta relinqueretur. Itaque

D.

Digitized by Google

D. Capiſtrano hortante, eodem adhuc veſpere prælium inſtauravit Hunyadius; productaque in ſequentis diei diluculum dimicatione, Turcæ demum caſtro deturbati ſunt. Victoria hac, quod præſentem ſibi Numinis opem adeſſe Chriſtiani ſenſerint, arcano quodam animi impetu acti, pauci primum caſtro egrediuntur, temereque pugnam cum Turcis auſpicantur; horum exemplo cum reliqui etiam certatim eo convolaſſent, majoribus animis prælium recruduit, cedentibusque Turcis, binæ ſtationes cum machinis bellicis occupatæ. Hunc in modum non ſine ingenti cæde Capiſtrano, & Hunyadio Duce progreſſi Chriſtiani ad Prætorium Mahometis pervenere. Disjectis hic ſumma celeritate operibus militaribus, paulo acrius utrinque dimicatum fuit. ac eousque protractum certamen; donec Turcæ panico terrore correpti relictis caſtris, & impedimentis in effuſiſſimam fugam præcipitati, urbem obſidione; rem Chriſtianam metu liberaſſent. Mahometes gravi accepto vulnere ægre ſuorum virtute ſervatus fuit. Sunt, qui centum, alii

XXV.

Digitized by Google

LADISLAUS V.

lennes Heroi tanto. a) exequiæ ſunt habitæ.

Quæ alia viri decora?

VI. Erat Joannes vitæ prorſus integerrimæ, ut qui tot inter bellicas civileſque curas, raro ſane exemplo, ſingulis ut minimum menſibus, SS. Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta frequentare in more habuit: eluxit ſane in eo rara in Deum religio, parque in Reges ſuos fides; bis a Turcis victus, decies victor; multis per omnem vitam exercitus laboribus, &, quæ magnorum Virorum ſolet eſſe merces, continuis æmulorum objectus criminationibus; at horum invidiam generoſo contemtu

præ-

a) Ejus encomia ab omnibus pene coævis ſcriptoribus poſterorum memoriæ commendata ſunt: nonnulla, præſertim de vitæ Chriſtianæ traductæ ratione apud Ranzanum commemorantur: meminit hic inſuper moniti, quod adſtantibus popularibus ſuis moriens dedit, cum eos præter alia hortatus eſt, ut evulſis diſcordiis concordiæ ſtuderent, niſi id obſervarent, prædicens futurum, *ut omne Regnum eorum ſine ulla dubitatione deleatur*: verum vaticinium eventus docuit.

præclareque factis ſuperare ſolitus. Quod autem plurimorum in eum odia conciverat, fuit natalium obſcuritas virtutum adminiculo ad ſummos evecta honorum gradus. Fuit quippe ut nonnullis placet Joannes Patre Butho Tranſilvano Valacho viro militari, ac Sigismundo in paucis charo in lucem editus An. MCCCXCII. in Tranſilvaniæ vico Hollós. A) Traducta apud Nicolaum de Chák Vaivodam Tranſilvaniæ pue-

LADISLAUS V.

A) Bonif. Decad. III. Lib. IX. pag. 538. edit. Baſil. cui certe præ ceteris genus Matthiæ Regis, in cujus aula ſcripſit, cognitum eſſe debuit. Æneas Silvius pariter Valacho genere natum meminit. Ulricus Cilejenſis id ipſum non una vice per ſcomma, Joanni objecit. Ceterum ſunt momenta, quæ Joannem Sigismundi Regis filium fuiſſe probant, ætas Joannis annorum LXIV. cum Sigismundi in Tranſilvania, occaſione belli Walachici, commoratione A. MCCCXCII. apprime congruit. Non leve huic pondus accedit, a communi apud Hungaros conſtantique traditione. Neque obſtat nil de hoc a M. Thuroczio ceterisve ejus ætatis ſcriptoribus memoriæ proditum: reverentia in Mathiam Corvinum Regem labem hanc natalium celari coegit. Conſule de hoc Heltai Chronicon Hungaricum.

LADISLAUS V.

pueritia, aliquamdiu in aula Dionyſii Zechi Zagrabienſis tum Antiſtitis verſatus, poſtquam ad militiam applicuiſſet animum, ſub Ujlakiorum vexillo prima virtutis bellicæ jecit fundamenta. Mox in Italiam à Sigismundo Imperatore miſſus, biennium in Philippi Mediolanenſis Ducis caſtris exegit. Inde non ſine virtutis commendatione domum redux, militaribus præfecturis admotus, cum inſigni ſemper adverſum hoſtes felicitate, ac Bohemico imprimis contra Huſſitas bello inclaruiſſet, Sigismundus hominem Hunyadia arce & ampliſſimis bonis excoluit: Albertus autem, quod eum non toga minus, quam ſago valentem comperiſſet, e nobilium Ordine in Baronum numerum relatum Severinenſis Bani dignitate exornavit, ejusque conſiliis belli, domique egregie, ac utiliter uſus fuit. Id quod maximam Hunyadio apud ſuos peperit auctoritatem. Tanti igitur viri operam turbulentis iis Regni initiis utilem ſibi fore ratus Uladislaus, Capitaneum Nandor-Albenſem, Banum Temeſienſem, & Tranſilvaniæ Vaivodam renunciavit, totamque

belli

LADISLAUS V.

belli adverſum Turcas adminiſtrationem commiſit. Caſo poſtea ad Varnam Rege, cum inſignia Joannis in Rempublicam merita, Turcicique belli metus ante omnium oculos verſarentur, ad Vicariam Gubernatoris dignitatem evectus, ſciſſam Procerum diſſidiis Hungariam rara prudentia, & fortitudine adverſus domeſticos non minus, quam exteros hoſtes Ladislao Regi ſervavit, ab avaritiæ ſordibus, & Regni, quod pene in poteſtate habuit, ambitu longe alieniſſimus. Gratus id agnoviſſe videtur Ladislaus, cum gentilitio ejus Scuto (erat in campo aureo Corvus annulum roſtro gerens) novum adjecit; in cujus area argentea Leo erectus unguibus auream ſtringebat coronam, in perennem, Joannis de Hunyad curis, & laboribus ſervatæ ſacræ Coronæ, & ejus jurium ac ditionum memoriam. A)

A) Leonem hunc Corvinæ Domus gentilitium, niſi me omnia fallant, videre eſt in aureis nummis Matthiæ Regis, a Bohemico Leone coronato diſtinctum;

LADISLAUS V. pto caveret, ſe arcem ejus arbitrio conſignaturum, nec quidquam fraudis moliturum. Indigna ſane Rege atque imprudens a ſubdito poſtulatio: ſi enim Ladislaus Hunyadius reapſe adeo ſceleſtus erat, ut Legitimo Regi ſuo mortem machinaretur, fides eo chyrographo data profecto minime hominem a perpetrando facinore prohibuiſſet. Perculit ſane inexpectata ea Regis petitio innocentem ad id tempus Hunyadium; quod inde clare intelligebat, de perfidia ſe ſuſpectum eſſe: unde quam acerbum ſenſerit dolorem, quantumve in criminatorem ſuum Ulricum concitatus ſit, facile perſpicient illi, qui norunt, quanti æſtimetur, Principis, cui ſummo inſervis ſtudio, gratiæ jacturam facere. Diſſimulato interim animi vulnere, Hunyadius cunctis his poſtulatis quam cumulatiſſime ſubſcripſit.

Quæ occaſio?

VIII. Itaque poſito jam metu Rex Belgradum deflexit: ad arcem appropinquanti Hunyadius loci claves pro more obtulit; quibus rurſum redditis, Rex cum Ulrico,

Digitized by Google

rico, multisque aliis illuſtribus viris arcem ſubiit: quibus ingreſſis, ſublato mox in altum ponte Cruce ſignatorum legiones, quas Ulricus caſtro inferre parabat, aditu ſunt interclusæ ea de cauſa, quod apud Hungaros vetitum erat, cujuscunque gentis exteros in limitanearum arcium interiora admittere: reapſe autem ex præteritis futura proſpiciens Ladislaus Hunyadius, verebatur ne prævalente in arce Cruce ſignatorum, qui exteri fuere, numero Ulricus vim ei afferret. Sed ea res peſſime ab Ulrico accepta fuit, Regique mox propoſita, velut certiſſimum perfidiæ argumentum: ut adeo quoad Belgradi fuit Rex, trepidaret ſemper, inſidiasque vereretur, ac idcirco alienum ab Hunyadio animum multis declararet ſignis. Feriit ea Regis averſio paulo acerbius generoſi juvenis animum, quam ut rem ſic abire ſineret. Novis itaque vindictæ facibus accenſus, ſedulo modum, rationemque diſpiciebat, quibus atrocem æmulum Ulricum hominem affinitate ſibi junctum, aut conciliaret; aut, ſi id non ſuccederet, omnino præci-

LADISLAUS V.

Digitized by Google

LADISLAUS V.

pitem ageret. A) Quapropter D. Martino Turonenſium Epiſcopo ſacra die XI. Novembris ejuſdem Anni MCCCCLVI., quo tempore Ladiſlaus Rex divinis officiis in templo vacabat, Ulricum Comitem in ædem quampiam per nuncium evocat: B) hæſit ille aliquantum, an iret ambiguus: mox loricatam ſub veſte indutus tunicam: non ſine ſatellitio adeſt: conclave ingreſſum amice primum ſalutat Ladislaus Hunyadius: tum laxatis dolori ſuo frenis, acer-

---

A) Odiorum cauſas, & cædis Hiſtoriam critice deductam lege in Hung. diplom. temp. Mathiæ Regis. Cl. Steph. Kaprinai Part. I. Lib. I. Diſſ. II. C. II.

B) Aliter hæc multo narrat M. Thuroczius eorum temporum æqualis in Chron. Cap. LVIII. ait enim Ladislaum Hunyadium ad Ulrici hoſpitium ſe contuliſſe. „ Comes Ladislaus *inquit* ſummo mane „ poſt repulſum per ſolis radios ejusdem diei diluculum; Domum ipſi Comiti Ulrico Caſtro in „ prædicto pro hoſpitio aſſignatam, pariterque & „ ipſum Comitem, pro habendo, ut fertur, mutuo „ colloquio adiit „ hæc ille, rixam deinde ex mutua verborum contentione ortam, & ſecutam denique Ulrici mortem eo, quo nos modo explicat. Videatur Cl. Kaprinai loc. cit.

Digitized by Google

acerbius conqueritur, de intolerandis ejus odiis, quibus ante Patrem ſuum Gubernatorem, nunc vero ſe exagitare non deſinebat. Ulricus juſtam eam reprehenſionem non ferens, tantum abeſt, ut male ſe egiſſe agnoſceret; ut potius in furias actus Hunyadium perfidum, rebellemque vocare non dubitarit: ex his initiis orta contentio in rixam deſiit: Ulricus prior eductum e vagina gladium in Ladislai caput vibrat: ſed hic oppoſita opportune dextra graviterque ſauciata fatalem ictum declinavit: ſtrepitu, & clamore, ut fit, exciti Hunyadii milites conclave ſubeunt, Ulricumque multis confodiunt vulneribus. Corpus obtruncati plauſtro impoſitum, Cilejamque devectum majorum tumulo inferri procuravere amici. Hunc exitum habuit vir ſceleratus a) & arro-

LADISLAUS V.

a) M. Thurotzius hoc Ulrico elogium dedit: „Fuit Comes Ulricus condecentis proceritatis, in „vultuque & corpore condigne diſpoſitus, macer „facie, ætate quinquagenarius, vel citra, jucun„dus, & admodum venereus, crines ornabat, & „ne barba apud amatrices ætatem confunderet, il„lam

Digitized by Google

LADI-SLAUS V.

arrogans, qui deteſtando ſane conſilio a biſſima Regem inter, & ſubditos di fecerat, caputque a membris ſeparave ac omnium, quæ deinceps Hungariam ruerunt, calamitatum auctor exſtitit gnus ſane, in quo florentiſſima Ci ſium Comitum ſtirps deſineret: ut clariſſimi viri aſſeverare non dubitarin minus Ladislaum de Hunyad Reip Chriſtianæ profuiſſe cæde Ulrici Co quam Joannem Gubernatorem Maho profligatione. a)

Qua ratione condonata?

IX. At Ladislaus Rex intellecta e de paulo vehementius turbari, nov agitari cepit timoribus; nec ſatis, qu rerum rationibus ageret, inveniebat. anxium, fluctuantemque Ladislaus H dius ſuis cum neceſſariis acceſſit, R

q

„ lam radicitus evellere faciebat. „ pag. 455. Tyrnav. Cap. LVIII. vide Tabell. V. Geneal. C Cilejæ. pag. 268.

a) Æneas Silvius in Epiſtol. ad Regem A gon. & Sicil.

Digitized by Google

) MU M

ıs I. neck
ına Com. d

.. ✱
ıs fili

rmanı Comes
rina Sbi Bos

mann. Banu
ſabethmitis d

ıejenſi
an. Gc *Ma* Com. Cilejæ
Rex

lsberg ✱ 1423.
neſti Bavariæ Du-
a.

oh. 1. Occiſu 1480.
filia
us de Montfort
Dux Teıchinenſis.

Guboris fili

R ;

Digitized by Google

LADISLAUS V.

quæ pedibus ſupplex, enarrato cædis patratæ modo, privatas primum ſuas injurias, tum univerſæ Reipublicæ, ſi porro ille vixiſſet, ruinam multis explicavit: quæ illius oratio adeo Regis animum commutavit; ut non modo jure cæſum pronunciarit, verum etiam Hunyadium deprecantem omni crimine abſolverit. Exiguo poſtea tempore Belgradi commoratus, in Ladislai de Gara Palatini, aliorumque Procerum comitatu Temesvarinum Hunyadiani juris arcem petiit. Venientem lugubri veſte induta excepit Eliſabetha Szilagyia Joannis Gubernatoris vidua una cum filio Mathia, clementiamque illius imploravit. Rex viduam multis conſolatus, iterum criminis veniam Ladislao Hunyadio fecit; ſubinde autem ut metum omnem tolleret, ſolenni jurejurando coram Euchariſtiæ Sacramento nuncupato, recepit, ſe facinus in Ulricum admiſſum nullo unquam tempore vindicaturum, una vero in ſignum gratiæ filiorum utrumque Latislaum & Mathiam fratrum loco cooptavit die XXIIII. Novembris ejusdem Ann. MCCCCLVI.

A)

Digitized by Google

[redacted]

LADISLAUS V.

comprehenſus in Carcerem conjicitur: Mathias autem frater in hoſpitio ſuo nil tale ſuſpicans capitur: eodem pariter tempore Joannes Vitézius Varadinenſis Antiſtes, ceterique Corvinæ domus amici A) cuſtodiæ dati ſunt, ne quid ſeditionis moliri poſſent. Die autem inſequente, qui XVI. Martii fuit An. MCCCCLVII. nulla præmiſſa cauſæ cognitione, neque dato reſpondendi ſpatio, Ladislaus de Hunyad Clariſſimi Viri Joannis Gubernatoris filius Dalmatiæ & Croatiæ Banus ſub noctis crepuſculum in forum S. Georgii prope aulam deductus, quatuor exceptis ictibus decollatus fuit, præcone id ſolum adſtantibus inclamante: ſic perduelles Regi plecti ſolere. B) Hunc in modum, priusquam captivitatis fama per Hungariam ſpargi poſſet, properato ſup-

---

A) Erant hi: Sebaſtianus de Rozgony, Ladislaus de Kaniſa, Gaſpar Bodó de Györgyi, Georgius Modrár, & Paulus Horváth.

B) Lege ſis de ſupplicio hoc ejusque cauſis Cl. Kaprinai in laudata Hung. Diplom. Lib. I. Diſſ. III. Cap. II. & ſequ.

Digitized by Google

ſupplicio occubuit Juvenis fortiſſimus A); LADISLAUS V.
cauſæ autem, quæ Ladislaum Regem ad id
conſilii, & violandam, quam Temesvarini
dederat, fidem adduxere, hactenus ſunt
incognitæ. Si novas Regi ſibi tam benevolo
ſtruxit inſidias, jure ſane cæſus fuit;
quanquam multa tum in aula Hungarica
ex odio & vindictæ in Corvinam domum
ſtudio a Palatino acta fuiſſe vel ex M. Thuroczio,
qui Mathiæ Corvini ætate floruit,
conſtat, facileque adoleſcenti Regi iis rerum,
& temporum rationibus multa perſuaderi
poterant, quæ ſi mora adhibita fuiſſet,
a vero aliena ſubinde apparuiſſent.
Sed nempe habent hoc ii, qui ſummo præſunt
imperio, ut eorum, quos vaſtiſſimi
regiminis adjutores ſibi deligunt, dictis

A) Corpus Ladislai Corvini in æde SS. Corporis Christi Budæ ſine honore ſepultum, poſt Mathiæ Regis electionem, Michael Szilágyi Avunculus Albam Juljam in Tranſilvaniam deferri, atque in æde D. Michaelis pone Joannis Gubernatoris parentis oſſa magnifico funere ſepeliri curavit. Bonfin. Decad. II. Lib. IX. Exſtat ibidem hodiedum monumentum, quod ſuperiore anno ipſi ſpectavimus.

Digitized by Google

LADISLAUS V.

ſidem habere cogantur, neque ſemper ipſi per ſeſe verum a falſo poſſint diſcernere.

Quid inde turbarum?

XI. Ladislai de Hunyad ſupplicio affecti fama, incredibile eſt, quantos in Hungaria inferiore concitaverit motus, præcipue poſtquam fama exiit, Mathiam quoque puerum, licet ob ipſam ætatem a ſcelere omni immunem, conſimili fato propediem periturum. Nec vanus rumor erat; Palatinus enim Regi auctor fuit, ut cæſo Mathia, Hunyadiam domum exſtingueret. Verum Eliſabetha Corvinorum Mater, mulier prolium amantiſſima, alterius filii amiſſi dolore ſaucia; alterius vero a morte liberandi ſtudio incenſa, cum necquidquam precibus profeciſſet, quidquid æris in promptu erat, in copias quam maximo numero conſcribendas profudit, præterea Regi, Palatinoque Budam nunciavit, niſi ſibi Mathias filius incolumis reſtitueretur, ſe Mahometem ipſum evocaturam, eidemque arces omnes limitaneas proditurum. Perculit ea Mulieris denunciatio Aulam Hungaricam, eoque vehementius, quod interea

com-

temporis immanis exercitus ſub Corvinia-na ſigna confluxiſſe ferebatur, cui neque a Joanne Giskra ſuperioris Hungariæ præfecto, neque a ceteris, qui a Rege ſtabant, reſiſti amplius poſſet, ut adeo ſeditio communis evaſura videretur. Itaque Ladislaus Rex tanto commotus diſcrimine, relicta Buda, Viennam citatiſſimis itineribus properavit, eodemque Mathiam puerum captivum ſecum abduxit. Incendium, quod jam erumpebat reſtincturus Dionyſius Strigonienſis Archiepiſcopus, ultro citroque commeando inducias Regem inter & Eliſabetham confecit, cujus tempore eodem arbitro pax etiam compoſita fuit his fere pactis: Mathias liber dimitteretur, interea tamen obſidis loco Strigonii remaneret, donec Eliſabetha limitaneas arces Regiis hominibus conſignaſſet. Varadinenſis Antiſtes, ceterique captivi proceres in libertatem reponerentur. A) Verum tota pacis executio adhæſit, quod Ladislaus Rex Eliſabethæ diffidens, Mathiam nollet dimitte-

LADISLAUS V.

A) Kaprinai Hung. Diplom. Diſſ. IV. & V.

Digitized by Google

LADISLAUS V.

re, quod etiam Viennensi in carcere arctiſſime custodiri juſſit: A) ipſe Pragam conceſſit. Eo tempore omnia in Hungaria turbata erant, bellum enim Duce Michaële Szilagyio germano aperte Regi obmovere auſa fuit Eliſabetha: atque eo ſucceſſu, ut munitioribus locis occupatis, dimidiam pene Hungariam Peſſionium uſque in potestatem ſuam redegerit: id quod eo facilius fuit, quia Michael Szilagyius æs omne, quod ærario Regio inferri ſolebat, tempeſtive occupaverat. Atque ſic odiis & gladiis certatum fuit ad Ladislai usque Regis obitum. B)

Qua laude vivere deſiit Ladislaus?

XII. Equidem poſtremum id Ladislao Regi iter fuit. Poſtquam enim ſplendidiſſimam ex Hungaris, Bohemis & Auſtriacis Lega-

A) Paulo ante mortem ſuam Ladislaus Rex Mathiam vinctum Pragam adduci juſſit, moriensque Podiebradii fidei captivum commendavit.

B) Quantum domi bellum exarſerit, quot cædes & direptiones ſecutæ: lege apud M. Thurotzium Cap. LXI. pag. 564. Edit. Tyrn.

Digitized by Google

Legationem in Galliam miſiſſet, qua Caroli VII. Regis filiam Magdalenam ſibi ſponſam poſtulabat, in ipſo nuptiarum apparatu, præter omnium expectationem fatali morbo correptus fuit, quem cum ipſe lethalem ſibi fore intrepido vultu adſtantibus ſignificaſſet, ultimis morientium religionibus, ut Catholicum piumque decebat principem, procurari ultro expetiit. His terminatis XXXVI. horarum ſpatio ad ultimum deductus agonem, accepto in manus cereo benedicto, Orationem Dominicam defixis in Crucifixi effigiem oculis recitavit, atque in illis verbis: *Sed libera nos a malo*, loqui, & vivere deſiit, die XXIII. Novembris a) An. MCCCCLVII. ætatis XVII. Corpus innocentiſſimi Principis Caroli IV. tumulo ſolenni pompa illatum fuit. Inopina ea mors univerſam pro- LADISLAUS V.

a) Obſervatum a curioſis, eo ipſo die obiiſſe Ladislaum, quo anno abhinc de non vindicanda Ulrici cæde jusjurandum Temesvarini præſtiterat. Vide M. Thurocezium Cap. LXII. Ranzanum, aliosque apud Cl. Kaprinai Diſſ. VI.

LADI-SLAUS V.

pe Europam in luctum conjecit: ob inſignem enim pietatem raramque morum integritatem Ladislaus paſſim *generis humani deliciæ* appellatus fuit. Si quid ab eo perperam actum, certe non tam illi per ætatem adhuc gravioris conſilii inopi; quam eorum, qui adoleſcentis latus ſtipabant, conſiliis tribuendum eſt. Equidem morti vicinus adeo ſibi recte conſcius fuit; ut dicere non dubitaret; ita ab ſe hominis Chriſtiani officio ſemper ſatisfactum, Numinique optimo ſervitum fuiſſe, ut de æterna ſalute ſua optime ſperare poſſet. Si porro vitam produxiſſet, atque in gubernandi uſu diutius exercitus fuiſſet, abſolutiſſimum optimi Principis exemplar habituri erant ſubditi. Multorum animis paulo poſt inſederat opinio, Ladislaum, propinato ſibi a Georgio Podiebradio Bohemiæ Gubernatore, aut Rochezana veneno, ſublatum fuiſſe; propterea quod iſte Huſſitarum id temporis Dux eum hæreſis ſuæ hoſtem fore metuebat; ille autem Bohemico ſolio inhiabat. Verum iſtud refelli videtur ex eo, quod XV. poſt anno reſerata tumba

cor-

Digitized by Google

corpus Ladiſlai integrum, quaſi paulo prius expiraſſet, repertum fuerit; quin etiam cum An. MDXC. rurſus ſepulchrum apertum fuiſſet, nihil omnino in cadavere vitii apparuit; qua corporis integritate fortaſſe Numen æquiſſimum raram caſtiſſimi adoleſcentis continentiam remuneratam, orbique univerſo teſtatam voluerit.

LADISLAUS V.

XIII. In Hungaria Ladiſlai mortis fama varios, ut quisque animo comparatus erat, excivit motus: Hunyadiæ domus æmuli vehementer timere ceperunt, ne Eliſabetha Hunyadia ſuo cum fratre Michaele Szilagyio, quod clientibus, copiisque abundabant, hoc interregni tempore Ladiſlai Hunyadii cædem ultum irent. Cunctos autem Regni ordines non levis de novo Rege eligendo cura inceſſerat, quod Fridericus Cæſar pro ſe, aut filio, præterea demortui Regis affines Guilielmus Miſnenſis Dux, & Caſimirus Poloniæ Rex a) Regnum petituri erant. Itaque priusquam

Ab ejus obitu quæ ſtudia Hungarorum?

a) Vide Geneal. Reg. Tab. VI.

Digitized by Google

LADISLAUS V.

partium ſtudia in Regno invaleſcerent, novi Regis lectionem accelerandam putavere. Eum in finem Ladislaus de Gara Regni Hungariæ Palatinus non obſcuro & ipſe coronæ ambitu laborans ex mente Procerum, qui tum forte Budam convenerant, Generalia Regni comitia ad Calendas Januarias anni inſequentis, MCCCC. LVIII. indixit. Sub hoc tempus Eliſabetha, & Szilagyius copiarum ſuarum freti robore non jam ad liberandum e carcere Mathiam, ſed etiam in ſolium evehendum cogitationes, curasque tranſtulere. Quapropter miſſus extemplo Pragam Joannes Vitézius Varadinenſis Antiſtes, qui rem cum Georgio Podiebradio Gubernatore transſigeret: nihil in hoc moræ fuit, qui mox a Regis obitu Mathiam e carcere ſuas in ædes traductum liberaliter habere ceperat. Quare poſtulatis Eliſabethæ cumulate ſubſcripſit, pollicitus inſuper ſe milite, ſi opus foret, factionem Hunyadiam adjuturum; ſi modo ſibi XL. aureorum millia poſtea perſolverentur. Vitézius exiguum

id

id pro tanto beneficio, litrum exiſtimans, Eliſabethæ nomine propediem numeratum iri cavit. His igitur adminiculis Mathiæ de Hunyad faciles ad ſolium aditus parari cœperant, ſicque poſtea impletum fuit D. Joannis Capiſtrani a) Vaticinium, qui Mathiam de Hunyad Regem aliquando futurum, Joanni Gubernatori diſerte prædixerat.

LADISLAUS V.

a) Narravit eam rem Proceribus non una vice Mathias jam Rex, ac una adjecit, ſe liberationem ſuam Sancti Viri apud Deum meritis, & precibus acceptam referre, cui ſolenni ſe voto eum in finem in carcere adhuc obſtrinxerat. Lege Hung. Diplom. Lib. II. Diſſ. III. pag. 351.

Digitized by Google

TABULA VI.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI II.

Buthus Nob. Hung. in Tranſilv.
Con. Eliſabetha de Marzinya Nob. Tranſilvana.

Joannes de Hunyad Reg. Hung. Gubernator ✠ 1456.
Con. Eliſabetha Szilagyia de Horog-ſzeg.

Joannes Mil. Ductor.

Ladislaus Dalm. & Croat. Banus cæſus Budæ 1457.
Con. Anonyma Ladisl. Garæ Palat. filia.

Anonyma.

Mathias I. Rex Hung. ✠ 1490.
Con. a Catharina Bohema Podibradii Reg. filia.
b *Concubina Sileſa.*
c Beatrix Neapolitana Ferdin. Reg. filia.

Ex *Concub. Sil.* Joannes Dux Liptoviæ Dalm. & Croat. Banus ✠ 1504.
Con. Beatrix de Frangepan.

Chriſtophorus

Eliſabetha.

MATHIAS I.

REX XXXV.

A. C. MCCCCLVIII.

I.

Qua via electus Mathias?

Michael Szilagyius de Mathiæ ſalute, & propenſis in eum Georgii Podiebradii ſtudiis ex reduce Vitézio edoctus, continuo cum vicenis ſuorum millibus Peſtum ad comitia contendit ſub exitum Anni MCCCCLVII, quo cum ſubinde totidem millia e Bohemis, aliisque gentibus ſtipendio conductis confluxiſſent, brevi XL. mille virorum exercitus Szilagyio Duce pro Mathia ſtetit. Hoc apparatu viſo, Palatinus, qui cum oppoſita factione a) Budæ ſubſtiterat, negabat ſe Peſtinum tranſiturum: id quod vehementer Szilagyium tenebat ſollicitum, ne a præcipua Procerum parte e comitiis abſente alius quispiam ad ſolium eligeretur. Sed ea cura brevi ſolutus

a) Factionis adverſæ cum Palatino præcipui fuere: Nicolaus Uilaky Wayvoda Tranſilvanus, Paulus Bánfi de Lindva Janitorum Regalium Magiſter,

MATHIAS. lutus fuit, poſtquam nocte IV. idus Januarii conſequente, danubius glacie conſtrictus, tutum ultro citroque commeantibus tranſitum præbuit. Tum enim vero Szilagyius magno clientum, & militum numero ſtipatus Budam ſe contulit, Palatinumque cum ceteris Proceribus Peſtinum traduxit. Apertis comitiis, ut præcipuus obex tolleretur, actum de concordia Palatinum inter, & Hunyadiam domum; quæ demum Joanne S. R. E. Cardinale, Pontificio Legato arbitro, ita coaluit; ut Szilagyius jurejurando caveret, nullo unquam tempore Ladislai Hunyadii cædem vindicandam, ac ipſam adeo memoriam ita abolendam, ut id nemini, qui cædis auctor fuiſſet, fraudi aliquando eſſet. Hoc metu ſublato, agi de novo Rege eligendo cepit. Szilagyius prolixa oratione adductis Joannis Gubernatoris meritis, & cauſis quam plurimis, cur domeſtici Reges exteris præferendi eſſent, pro Mathia peroravit: cupidis acceptus fuit auribus Szilagyii ſermo; at ut puerum ſola Parentis dignitate, & meritis illuſtrem ſibi Regem imponerent,

adduci

adduci non poterant; Palatinus præſertim ipſe ad ſolum aſpirans, qui Ladislaum Corvinam conſilio ſuo interfectum noverat, vindictamque metuebat: aperte tamen Szilagyio ob præſentem exercitum repugnare nemo auſus fuit. Sic comparatis utrinque animis, cum die XXIV. Januarii, ob variantes Procerum ſententias, ſenatus paulo diutius haberetur, neque ad Szilagyii vota Ordinum Regni voluntates penitus inclinari poſſent, Hunyadiæ factionis milites qui Peſtum inter, & Budam a Szilagyio collocati in glacie ſtabant, diuturnæ moræ, & frigoris impatientes, unanimi voce in medio danubii Mathiam Hungariæ Regem proclamant. Quadragies mille virorum clamore ad comitiorum ædes propagato, Proceres reſtiſtere non amplius auſi, abrupta diſceptatione, ſua pariter ſuffragatione militum electionem probavere. Atque ſic eodem adhuc die A. MCCCCLVIII. Mathias electus fuit. Quia vero per ætatem, (quintum ſupra decimum agebat annum) ſceptro impar videbatur, Michael

MATHIAS.

chael Szilagyius Avunculus ei in quinquennium Gubernator datus fuit. A)

Quibus Legibus?

II. His actis de curandis Reipublicæ vulneribus deliberatum, legesque perlatæ, quibus novus Rex obſtringeretur: hæ autem fuere: Prælatorum, Baronum, & Nobilium bona diſſidiorum tempore per vim, & fraudem occupata ſuis dominis redderentur: Octavalia Regni judicia B) pro veteri more quater per annum conſtanter celebrarentur: cetera ſingulis in Comitatibus haberi ſolita paulo diligentius obſerva-

ren-

A) Hung. Diplom. Part. I. Lib. II. Diſſ. I. Cap. II.

B) Octavalia Judicia ſunt, quæ poſt octavas nonnullorum feſtorum haberi ſolebant Palatino, & Judice Curiæ præſentibus ac quadraginta dierum ſpatio durabant. Eadem paulo poſterius nonniſi bis per annum celebrabantur: pro ſuperiore Hungaria Eperieſſini Poſt octavam D. Georgii Militis & Martyris, pro inferiore Poſonii poſt feſtum D. Lucæ Evangeliſtæ. Vide Uladislai Decret. I. Artic: XL. & IV. Artic. II. & paſſim Decreta Ferdinandi I. An. MDL.

MATHIAS

natur: Prælati, Barones, & Nobiles ab omni tributi ſpecie immunes eſſent; non item a militiæ faciendæ onere. Sacræ æque, ac profanæ dignitates ne exteris conferantur. Cauſæ ex SS. Canonum præſcripto ad ſacrum forum ſpectantes coram tribunali Eccleſiaſtico dijudicarentur. Viri Sacri, Nobiles, & Litterarum ſtudioſi a teloniis, & decimis abſolverentur: inſtauraretur res monetaria: a) Caſtella a Bohemis latrocinantibus variis in locis excitata ſolo æquarentur: Arces Regias omnes mox a comitiis Gubernator novi Regis nomine occuparet; fideique Sacramentum a præſidiariis acciperet. Denique ſingulis deinceps annis

---

a) Jam inde a Sigismundi temporibus fere ſoli Denarii majores, quorum centum æquabant auri florenum, in uſu erant; igitur conſtitutum, ut majoris commoditatis cauſa, minores inſuper Denarii cuderentur, quorum ducenti floreno reſponderent; præterea ejusmodi obuli, quorum quadringenti æquivalerent floreno auri, ſive Ducato. Ad hunc fere modum ſub Regni initia monetam reduxit Mathias, cujus Decretum vide apud Cl. Kaprinai Hung. Diplom. pag. 327.

MATHIAS.

annis comitia Peſti haberentur, ad quæ Nobiles ſinguli viritim confluerent. a) De his, aliisque tum rogatis legibus novi Regis nomine, & ſcripto, & jurejurando cavit Gubernator, Ordinesque Regni ſecuros eſſe juſſit. Nec mora: ſoluto Conventu Budenſem Arcem Regni Metropolim Palatinus Gubernatoris imperio reſignavit.

Ubi redditus Hungaris?

III. Mox poſt electionem peractam dimiſſi in omnes Hungariæ Provincias nuncii, qui Mathiam de Hunyad Joannis Corvini Gubernatoris filium, conſentientibus Ordinum votis Regem nominatum ſignificarent: ſpeciatim autem quam celerrime admonitus fuit Podiebradius Bohemiæ Gubernator, ut Mathiam primo quoque tempore Straznicium Moraviæ oppidum deduceret Hungaris reſtituendum. Ex Hungaris autem delecti complures Viri illuſtres, qui cum Eliſabetha Corvina Matre, & Szi-

a) Hæc, & nonnulla alia reperies in Codice Juris Patrii.

Szilagyio novum Regem cum honore exci- [redacted] MATHIAS
perent. Incredibile dictu, quanta feſtina-
tione iter id utrinque peractum: adeo, ut
die V. Februarii in adverſis Moravæ flumi-
nis ripis hinc Hungari, inde Bohemi conſi-
ſterent. Die inſequente Victorinus Podie-
bradii filius Mathiam in conſpectum Hun-
garorum adduxit: quem illi ſine mora equis
deſilientes flexo primum poplite venerati
ſunt, mox per Joannem Vitézium Orato-
rem appoſito ſermone ſalutarunt. Reſpon-
dit eis illico Mathias, verum præ gaudii
magnitudine obortis lacrimis, & faucibus
repente interclusis, orationem abrumpere
neceſſe habuit: non capiebat nempe Ma-
thias inexpectatam felicitatem ſuam, cum
ſe quaſi a morte ad vitam, e vinculis ad
coronam, e cuſtodiæ tenebris ad ſupremæ
dignitatis faſtigium evectum intuebatur.
Tradita deinde ſunt ex pacto XL. aureo-
rum millia Podiebradio, quibus Eliſabetha
Mater XX. inſuper millia adjecit. Dies ali-
quot in arce Straznicenſi, conficiendo Ma-
thiam inter, & Podiebradium fœderi im-
penſi: ſtatutum, ut communes haberent

MATHIAS

amicos, & hoſtes, ſeque mutuo ære, militeque adjutum irent: Mathias Podiebradii filiam Catharinam, alias Cunegundem, intra anni ſpatium in Hungariam deduci curaret, ſibique ſolenni matrimonio conjungeret. A) Quæ omnia in tabulas relata Mathiæ Regis, Szilagyii, ceterorumque Procerum ſigillis ſunt roborata die IX. Febr. An. MCCCCLVIII. B)

Qua pompa Budam deductus?

IV. His ex ſententia peractis, Podiebradius ſupremum ſalutato Mathia cum Bohemis Pragam feſtinavit, paulo poſt ejus Regi

A) Nuptiæ paulo ſerius nempe A. MCCCCLXI. coaluere. Catharina ſponſa a Bohemiæ optimatibus Trenchinium devecta fuit Calendis Maji, inde Budam per Hungariæ Proceres. Verum triennio poſt ſeu An. MCCCCLXIV. circa diem XXII. Februarii, nulla relicta ſobole, ex phtyſi obiit, ſepulta Budæ in æde S. Sigiſmundi, ubi in ejus gratiam Bohemico, idiomate ſermones ad populum haberi conſueverant.

B) Hung. Diplom. Lib. III. Diſſ. II. Cap. II. & ſequent.

Digitized by Google

MATHIAS

Regni corona potiturus. A) Hungari vero novum Regem ſuum inter fauſtas militum conſtantium, & populi ubique ſeſe obviam effundentis acclamationes Strigonium, inde transmiſſo danubio, Budam die XVI. Februarii incolumem deduxere. Ut in urbis conſpectum ventum fuit, pulcherimus Antiſtitum, Procerumque Ordo Dionyſio Zechio Cardinale Strigonienſi agmen ducente occurrit. Poſtquam ſalutationem finivit Cardinalis, Mathias iter ſuum in urbem proſecutus fuit. Urbis portas ſubeunti claves pro more ab urbano Prætore ſunt oblatæ, rogatusque fuit, ut Principis illius Hungariæ urbis leges, & immunitates a Deceſſoribus Regibus conceſſas ſua pariter auctoritate roboraret; quod ubi jurejurando interpoſito præſtitiſſet, urbem ingreſſus, recta ad ædem Ma-

T 2 gnæ

A) Rochitzanæ Huſſitarum Sacerdotis. factione Georgius Podiebradius Bohemiæ Rex electus fuit; die II. Martii A. MCCCCLVIII.: ſed quia de hæreſi ſuſpectus erat, priusquam coronaretur, fidei Catholicæ profeſſionem facere juſſus fuit.

Digitized by Google

MATHIAS gnæ Dei Matris & Hungariæ Tutelaris Dominæ tetendit: hic ex ritu Eccleſiæ gratiarum actione Deo perſoluta, in Regiam demum ſe contulit. Aulæ inferiora ingreſſus iterum ab Antiſtitum Procerumque circumſtantium Ordine ſalutatus fuit; tum vero accepto a ſuis fidei Sacramento, ipſe non modo concordiam initam, ceteraque in comitiis conſtituta rata habuit; verum etiam conſuetum de univerſæ gentis libertatibus ſervandis juramentum nuncupavit. Nec mora: dies feſti Budæ inſtituti ſunt, idemque ut per omne Regnum fieret, Comitatibus & urbibus per litteras, & nuncios imperatum fuit. A)

Quanto mox objectus periculo?

V. Lætitiam hanc non multo poſt acerrima, quæ pene omne Regnum a Rege diviſerant, odia obſcurarunt. Multæ mali fuere cauſæ. Ut primum Regni poſſeſſionem adiit Mathias, etſi puer adhuc erat ætate, toto nihilominus animo Reipublicæ admi-

A) Hung. Diplom. Lib. III. Diſſ. III. Cap. I. & II.

Digitized by Google

[redacted]
MATHIAS

adminiſtrationem complexus, ut erat poteſtatis, voluntatisque ſuæ tenaciſſimus, unus ipſe omnia ſuo arbitrio flectere, moderarique cepit. Michael Zilagyius Avunculus, & ex nuperno ſenatus conſulto Gubernator, ne quid ex calentibus, nec ad ea Regni initia ſatis accomodatis Regis pueri conſiliis detrimenti caperet Reſpublica ſollicitus, crebro pro muneris ſui ratione corrigebat Mathiam, opportunosque juvenilibus ejus imperiis injiciebat frenos. Acrius, quam par erat, ea Szilagyi monendi licentia pupugit generoſum Mathiæ animum, adeo ut indignationem manifeſtis ſignis prodere non dubitarit. Eo Regem inter, & Avunculum diſſidio gaudebant illi imprimis, qui Szilagyium odere; tum vero illi etiam, qui præcipua in aula pollere gratia, & ipſi rempublicam ſuis dirigere conſiliis avebant. a) Utrique itaque eam alienationem novis alere, augereque fomentis ſtuduere eousque, ut Mathias

---

a) Lege Bonif. Dec. III. Lib. X. pag. 544.

Digitized by Google

MATHIAS ductu, & arbitrio militaturi: apparebat autem, bellum illud non tam in Turcas, quam Fridericum Cæſarem parari, quo ſemel devicto, converſis repente armis videbatur Mathias novam gubernationis formam in Hungariam introducturus. Denique Fridericus Cæſar, & Caſimirus Poloniæ Rex negabat ſe Mathiam Regem agniturum, occultisque nunciis Proceres ab ejus obedientia avocare non deſinebat. Itaque bellum minime expectandum rati Ladislaus de Gara, Nicolaus de Vilak, Sigismundus & Joannes fratres S. Georgii Comites cum pluribus aliis Neoſtadium abiere, atque die IV. Martii A. MCCCCLIX. ibidem Fridericum Hungariæ Regem procla-

gua viginti; *Ár* autem idem, ac pretium, merces; vel penſum ſonat. Ut adeo Huſzár Vicenarii penſum ſignificet, talem nempe militem, qui a ſingulis viginti Colonis penſi inſtar legi, ac in caſtra mitti conſuevit. Porro Huſzárorum, ſive Equitum Hungarorum veterem dimicandi rationem optime deſcripſit Rex Mathias in litteris ad Ferdinandum Neapol. Regem ſocerum ſuum datis, quas habes in Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCCLXXXI,

Digitized by Google

damavere, non item ut falſo nonnulli tradunt Corona, quæ in ejus manibus tum erat, incinxere. Eodem etiam tempore Joannes Giskra ſuperiori Hungariæ imperitans ſuis cum Bohemis a Mathiæ Regis obſequio aperte receſſerat, Caſimirumque Poloniæ Regem Uladislai ad Varnam cæſi fratrem factionis ſuæ nomine ad occupandum Hungariæ Regnum invitaverat. Atque hanc Caſimiri lectionem Fridericus ipſe ratam habuit, opemque addixit Polono ad conſequendum Hungariæ Regnum, ut hac ſe ratione liberaret a ſolutione dotis, quam Eliſabethæ Caſimiri conjugi Alberti Auſtriaci Hung. Regis filiæ e ditionibus Auſtriacis debebat, de qua ſæpius & ab Eliſabetha, & ſerius poſtea ab illius hæredibus interpellatus, rem continua procraſtinatione in longius differebat.

MATHIAS

VI. Tam inſperata ſuorum defectione audita Mathias, tantum abeſt, ut animum deſponderit, ut potius curas, viresque omnes ad tuendam dignitatem converterit; imprimis periculum a Bohemis in Hungaria latrocinanti-

Quam ſapienter illi occurrit?

MATHIAS. bus minus apparebat, quod Caſimirus bello cum crucigeris implicitus, nec oblatum ſibi Regnum acceptarit, nec auxilia, quod Giskra ſperarat, ſubmiſerit. Itaque curas transtulit ad eam, quæ a Friderico imminebat tempeſtatem diſſipandam. Bello hunc petere non vacabat periculo, quod præcipui apud eum eſſent Magnates, qui ſanguinis, affinitatis, amicitiæque vinculis maximis quibusque domi innexi erant familiis, de quarum adverſum ſe fide nihil certi conſtabat Mathiæ. Itaque ut hoc ſeſe metu expediret, ſuorumque exploraret animos, conſilium ſane quam ſapiens, utileque iniit. Datis in omnes Provincias litteris jubet eos, qui integram ſibi ſervare fidem in animo haberent, Budam convenire. Aderant illi magno ſane numero, demto, quod mirere, Michaele Szilagyio; ex quo merito arguas, hunc pariter vindictæ ſtudio ad conjuratos ſeceſſiſſe niſi quis exiſtimare velit Szilagyium tum adhuc in arce Vilagósvár captivum delituiſſe. Mathias fidelium ſibi frequentia mirifice lætus, poſtquam paucis commemorata nonnullorum perfidia,

dia,

Digitized by Google

dia, ſingulos & beneficii, quod ſibi libera electione contuliſſent, & officii admonuiſſet, hortatus fuit, ut novo jurejurando mutuam ſibi fidem darent & acciperent. A) Prio-

A) Nomina eorum, qui tum jusjurandum nuncuparunt, hæc fuere. „ Dionyſius S. R. E. Cardi-„ nalis Strigon. Stephanus Colocenſis Archiepiſco-„ pi. Ladislaus Agrien. Joannes Vitéz Varad. Ni-„ colaus Quinque-Eccleſ. Auguſtinus Jaurin. Al-„ bertus de Vetthes Veſprim. Albertus Chanad. „ Demetrius Zagrab. Vincentius Vacien. Eccleſia-„ rum Epiſcopi. Thomas de Dobrenthe Epiſc. ac „ Gubernator Abbat. S. Martini S. Montis Pano-„ niæ. Nicolaus Præpoſ. Eccleſiæ Albenſis : nec „ non Magnifici : Michael Orſzág de Guth Reg. „ Hung. Palat. Sebaſtianus de Rozgony Wayvoda „ Tranſilv. Ladislaus de Palotz Judex Curiæ no-„ ſtræ. Joannes de Rozgony pridem Wayvoda Tran-„ ſilv. Simon Csudár de Olnod. Emericus de He-„ dervara, Rumoldus de Rozgony, pridem Comes „ Siculorum noſtrorum. Joannes Thuſz de Lak „ pridem Theſaurarius noſter. Michael Beſzth Ma-„ giſt. Curiæ noſtræ. Nicolaus de Hertzeg, & Ala-„ darius de Varda Pincernar. noſtror. Mag. Ladislaus „ de Loſontz, Caſpar Bodo, Petrus de Zob, Pau-„ lus de Spiranſics, Bani Regnor. noſtr. Dalm. & „ Croat.

Digitized by Google

MATHIAS

Priores Proceres ſolennibus verbis recepe-rant: ſe Matthiæ ut legitimo Hungariæ Regi fidem, reverentiam conſtanter ſervaturos: eo vivente neminem alium Regem nominaturos: nec ab aliis electum recepturos: conſilio operaque ſua ei ad ultimum usque præſto futuros. Rex de ſuorum animo jam certus, pariter jurata fide pollicitus fuit, ſe jura immunitatesque gentis ſancte cuſtoditurum, ſi quid pro temporum, rerumque rationibus in uſitata regiminis norma mutandum aliquando videre-

„ Croat. Joannes de Lábatlan, & Ladislaus de Pa-„ kos Comites Siculorum. Osvaldus de Rozgony „ & Ladislaus Buslai Magiſtri Agazon. noſtror. „ Matthyus & Ludovicus de Maroth, Caſpar de „ Korok. Emericus de Kaniſa, Simon Magnus de „ Sz. Martony, Jacobus Csudár, Ladislaus de Szé-„ chén Comes Neogradenſis, Joannes Gereb, Bar-„ tholomæus de Homonna, & Simon de eadem, „ Stephanus de Perény Comes Zemplinienſis, Ni-„ colaus de Lendva, Georgius de Chák, Joannes „ de Kállo, Paulus de Chahol, & Ladislaus de „ Dombó, ac Georgius Petheo. „ Hæc ad verbum ex diplomate authentico, quod datum eſt Budæ X. Februarii Anno MCCCCLIX.

Digitized by Google

MATHIAS.

deretur, nunquam citra popularium ſcitum id facturum: denique damna, quæ clientibus ſuis ab adverſa factione inferri poſſent, pro viribus reſtituturum. Hæc fuere capita mutui illius Mathiam inter, ac Proceres juramenti. Quo nihil ad res Mathiæ ſtabiliendas opportunius eſſe potuit, mirificeque Regis pueri prudentiam commendat; ſeu ipſe utiliſſimi ejus conſilii auctor fuit, ſeu a Joanne Vitézio, qui aulam tum unus moderabatur, ſuggeſti exequutor. Parum enim intereſt, an ipſe quid reperias: an ab aliis oblato uti noris.

Quibus artibus pax domi reſtituta?

VII. Suorum numero, & fide hac, quam nunc diximus, arte explorata, nihil ſibi tergiverſandum ratus Mathias, eodem Anno MCCCCLIX. Kôrmendinum, ubi factioſi Friderici Cæſaris copiis adjuti caſtra metabantur, cum exercitu provolat, ſperans imprôviſo ſuo adventu hoſtes continuo diſſipandos: verum quod Cæſareani numero ſuperarent, collatis infeliciter ſignis inferior acie exceſſit, levi tamen cum ſuorum jactura, quod Nicolaus de Uilak,

cete-

Digitized by Google

MATHIAS. re, folitoque diademate inſigniretur. Sæpius igitur ea de cauſa conventus in Hungaria habiti, ſæpius miſſi ad Cæſarem Oratores, ſed fruſtra, hic enim præter exaggeratam pignoris XL. mille aureorum ſummam, A) ampliſſimam inſuper tranſdanubianæ Hungariæ partem Auſtriacis terris finitimam, urbesque opulentiſſimas in jus perpetuum ſibi transſcribi poſtulabat: quam ditionum avulſionem nullo pacto admittendam cenſuêre Hungariæ Ordines. Atque ſic altercationes inter quinquennium exactum, non ſine maximo rei Chriſtianæ damno; quod Mathia in repetenda S. Corona occupato, Mahometes interea Bihacſio & Jaicza potitus, Stephano Bosniæ Rege contra datam fidem obtruncato, univerſum ejus Regnum occupaverit A. MCCCC. LXIII.

IX.

A) Si nominis ab Eliſabetha Regina olim contracti ſummam colligas, erant XXVII. millia & D. aurei, ut in rebus Eliſabethæ pag. 216. expoſuimus.

Digitized by Google

MATHIAS

Quæ in illud Hungarorum ſtudia?

IX. Pius II. Pontifex, ea finium Chriſtianorum jactura commotus, Fridericum continuis nunciis & litteris urgere non ceſſabat, ut ſacroſanctum illud Regni Hungarici pignus aliquando tandem reſtitueret. Ceſſit demum optimi Pontificis votis Fridericus, facilioresque Vitézio, Mathiæ Regis Oratori aures præbere cepit. Poſt multas tentatas concordiæ vias, ad extremum edixit Fridericus, ut primum ſibi ab Hungaris LX. aureorum millia perſolverentur, ſe coronam bona fide redditurum; de reliquis pariter pacis conditionibus facile transactum iri. Lætiſſimo eo nuncio accepto, Mathias dilata, quam in Turcas adornabat, expeditione, conventum Regni Budam indixit ſub exitum menſis Martii An. MCCCCLXII. Incredibilis tum præter morem Antiſtitum, Procerum, Nobiliumque frequentia confluxit. Ubi primum Rex S. Diadematis recuperandi ſpem fecit, petitumque per Fridericum Cæſarem pignoris pretium expoſuit, tantus continuo ſacri illius theſauri quantocyus obtinendi ardor univerſos Regni Ordines in-

MATHIAS

Regnum ad Fridericum, aut Maximilianum filium rediret; quem in finem ſtatutum, ut Hungariæ Ordines Fridericum quoad viveret Regem Hungariæ appellarent. Limites Regni aliquo jure ſecernerentur. Caſtra & oppida, quæ in Hungaria Fridericus occupaſſet, dempto Sopronio retineret, ea tamen lege; ut ab ejus morte perſolutis XL. aureorum millibus, ad S. Coronæ dominationem redirent, in-

ſerea

---

quam tum habebat Catharina prima conjuge ſua, nunquam deinceps matrimonium initurum: eo utique fine ut eo certius celeriusve ipſe Fridericus ejusve poſteri ad regnum Hungaricum pervenirent: Teſtis hujus pacti eſt Franciſcus Belcarius in Rer. Gallic. commentariis Lib. X. N. XXI. Pag. 292. Editionis Lugdunenſis: ſic cum habet, „ Is, *Mathias*, ſe „ nunquam uxorem ducturum pollicitus eſt, ut ejus „ morte Regnum ad Fridericum Fridericive liberos „ rediret: ſic enim inter illos convenit: & quan„ quam promiſſo non ſtetit *Mathias*, tamen ſine li„ beris diem ſuum obiit, nec tamen idcirco re„ gnum ad Fridericum pervenit. „ Si verum id eſt; neque enim in tabulis fœderis ulla hujus fit mentio; dura ſane Mathiæ oblata fuit conditio, quæ illi forſitan ad illicitos amores occaſionem præbuit.

MATHIAS.

terea autem communibus Regni oneribus, ut pendendis vectigalibus & militibus ſtatuendis obligarentur. Denique ab omni vindicta abſtineretur in eos, qui priorum tumultuum tempore alterutri ex æmulis adhæſerant. a) Confecta his legibus pace, ſolutisque LX. aureorum millibus, tradita demum Hungaris corona Sopronium primum, tum Budam inexplicabili totius gentis gaudio translata fuit. Ne continuo inaugurationum ſolennia peragerentur, bellum Turcicum in cauſa fuit; in quo inſignis plane Mathiæ virtus & felicitas

a) Gemina tabularum exempla ſeorſim utrinque eodem die XIX. Julii A. MCCCCLXIII. ſignata ſunt: ab Hungaris Oratoribus Soproníi: a Cæſare Friderico Neoſtadii. Hos, ut & ceteros tractatus Mathiam inter & Fridericum: tum Uladiſlaum inter & Maximilianum variis occaſionibus habitos lege ſis in auctuario Diplomatico ad calcem *Urſini Velii* addito per Illuſt. Franciſcum Adamum Kollár Aug. a conſiliis, Palatinæ Bibliothecæ hodie Directorem, qui litteras eas omnes e ſanctiore Domus Auſtriacæ tabulario ſumma fide exſcriptas cum erudito orbe communicavit.

Digitized by Google

MATHIAS. eluxit, ut qui ſemel ac iterum profligatis Turcis, trajecto Savo, non modo Serviam omnem evaſtarit; verum etiam principe Bosniæ ſive Ramæ A) arce Jaicza poſt trium menſium oppugnationem potitus, univerſum illud Regnum cum ſeptem & viginti urbibus & oppidis in ſuam aſſeruerit poteſtatem, ut adeo Mathias ſuismet jam meritis dignum ſe reddiderit illo diademate, quod tot Divorum Regum verticibus conſecratis longe pretioſiſſimum evaſerat.

XI.

A) Admonendus hoc loco Lector Bosniam & Ramam idem ſignificare. Regio nempe illa quæ prius *Ramæ* apellatione veniebat, ſubinde *Bosnia*, quæ illius pars fuit, vocari cepit: audiatur M. Thuroczius de Rege Mathia loquens: „ Harum rerum „ poſt Expeditionem, *nempe in Serviam*, nondum „ equorum ſuorum ſudore deſiccato, BOZNENSE REGNUM QUOD ET RAMAM VOCAMUS, tunc Turcorum „ Dominio ſubjectum aggreſſus eſt, caſtrumque Jaicza, tum loci natura, tum vero mœniorum altitudine munitiſſimum vi; alia vero terræ ejusdem caſtra deditione cepit. „ Cap. LXV.

XI. Tam inſigni triumpho ornatus Mathias, ut primum Budam rediit comitia ſub hiemis An. MCCCCLXIV. exitum Albæ Regiæ habuit, non coronationis ſolius cauſa, verum etiam ut quæ ex Reipublicæ utilitate viderentur, per eam occaſionem communi conſenſione conſtitueret. Præter univerſos Regni Antiſtites, Proceres, Nobiles, & urbium Legatos, quos & juſſa Regis, & Sacri Diadematis poſt XX. annorum exilium videndi cupido eo exciverat, exterorum quoque ingens ad eam ſolennitatem confluxit frequentia: ut aliorum Principum Legatos taceam, Fridericus multos Illuſtres Viros cum DC. e nobilitate Equitibus eo miſit, qui ad pompæ ſplendorem non ultimum addidere momentum. Poſtquam cuncta tantæ celebritati neceſſaria apparata ſunt, nulla ſacri temporis habita ratione, ipſo die cœnæ Domini, qui eo anno MCCCCLXIV. in XXIX. Martii inciderat, Mathiam in Baſilica Urbis Principe inter Miſſarum ſolennia ritu veteri Sacro Diademate exornavit Dionyſius Zéchius Cardinalis, Strigonienſis Archiepiſcopus,

MATHIAS.

Quando peracta inauguratio?

Digitized by Google

MATHIAS. pus, manantibus ubertim lacrimis, quod pius ſenecio raro exemplo, quartum jam eam functionem ſe peragere meminiſſet. Nempe in Alberti, Ladislai Poſthumi, Uladislai I., & nunc Mathiæ Regum coronatione. Poſt renovatum a Rege A) & Ordinibus conſuetum jusjurandum, pacis cum Friderico initæ tabulæ ſolenni diplomate, & Regio & Ordinum nomine roboratæ ſunt, B) Romamque, ut a Pio II. Pontifice confirmarentur, transmiſſæ. Eodem tempore fœdus cum Bohemiæ Rege inſtauratum eſt: cautum nominatim, ne latronibus Bohemis prædas in Hungaria exercere impune abiret.

XII.

A) Diploma Regis Mathiæ, quo Decreta deceſſorum Regum, ut Andreæ II. anni MCCXXII. Ludovici I. An. MCCCLI. ac denique Sigismundi anno MCCCCXXXV. in favorem gentis edita confirmavit, ſignatum fuit die VI. Aprilis, extatque in Codice Juris Patrii.

B) Vide Auctuarium Diplom. ad Urſinum Velium.

Digitized by Google

MATHIAS.

Quid mox negotii cum Tranſilvanis?

XII. Peracta inauguratione, cum ad proſequendum bellum Turcicum ſtrenue omnia comparat Mathias, gemina ſeditione in Tranſilvania & Moldavia excitata, ab ea expeditione revocatus fuit. Illic ſignum ſuſtulit Benedictus Vörös, qui cum populares ſuos ob exaggerata vectigalia, quæ Rex ſpecie belli Turcici ſæpe imperabat, alienatos aliquantum cerneret, Joannem S. Georgii Comitem Provinciæ Wayvodam, quem olim ad Fridericum ſeceſſiſſe meminimus, crebris adhortationibus ad arripiendam ibi tyrannidem excitabat, eoque demum rem adduxit, ut magna Nobilium pars præſertim Coloſienſes ejurata Mathiæ fide, Joannem Wayvodam ſibi Regem elegerint, periculumque eſſet, ne tota brevi Provincia a legitimi Regis obedientia diſcederet. In Moldavia paulo alia ſeceſſionis ratio fuit. Tres principio æmuli: Stephanus, Petrus, & Berendejus de Principatu cruentis decertaverant armis, victisque ceteris, Stephanus demum ſuperior evaſit. Ut autem in occupata citra Regis Hungariæ Domini ſui ſcitum Provincia ſe firma-

rer,

MATHIAS ret, Ottomanis clientelam profeſſus fuit. Diſcrimen quod e duplici illa ſeceſſione S. Coronæ impendebat, propulſaturus Mathias, conſcripto XL. millium exercitu, An. MCCCCLXVII. in Tranſilvaniam primum profectus, tanta celeritate & felicitate rem geſſit, ut factioſis, qui ad impediendum regiis copiis iter, montium fauces inſederant, ſumma fortitudine diſſipatis, totam Provinciam uno velut impetu recuperarit. Joanni Wayvodæ quia invitus ſeceſſerat, venia data; niſi quod Magiſtratum fratri ſuo Georgio S. Georgii Comiti & Bertholdo Elderbachio de Monyorókerék cedere coactus ſit. Seditionis auctores bonorum publicatione multati & ignominia notati, ceteris autem non modo venia data, verum etiam immunitas a tributis conceſſa. A)

XIII.

A) Teſtantur hanc Regis Mathiæ Clementiam literæ, quas Thordæ in Tranſilvania dedit, Sabbatho proximo poſt Feſtum B. Michaelis Archangeli, Anno Domini MCCCCLXVII. regni ſui Anno X. Coronationis vero IV. eas lege in Annal. Reg. Hung. ad hunc annum.

Digitized by Google

XIII. Sic compoſitis in Tranſilvania rebus, recta adverſus rebellem Stephanum in Moldaviam itum: initium parum felix fuit; Stephanus enim gentis Regulus Hungaros ad oppidum Banya curandis corporibus & quieti intentos noctis ſilentio aggreſſus, non mediocrem in ea perturbatione ſtragem ediderat, ut Mathias ipſe ternis acceptis vulneribus, ægre hoſtiles manus evaſerit: at poſtquam & flammarum, quibus temere incenſum oppidum longe lateque flagrabat, lumine, & lunæ radiis caſtra & vicinia omnis illuſtrata ſunt, Hungaricæ legiones non obſtante continuo hoſtium impetu, ex diſciplina militari in aciem ſe diſponunt: reſtitutoque ordine, & ignominiæ dolore, & victoriæ cupiditate incenſæ prælium inſtaurant: pugnatum fuit incredibili utrinque pertinacia: miles Hungarus mori prius, quam a ſubdita gente vinci certus, non ante deſtitit, quam Moldavi deſperata victoria profligati ſunt. Memorabilis ſane fuit ea pugna cum ob inſignem Hungarorum fortitudinem, qui e victis magno ſuo labore victores effecti ſunt; cum vero

MATHIAS

Quomodo Moldavia S. Coronæ reſtituta?

Digitized by Google

MATHIAS vero ob copioſum utrinque præfuſum ſanguinem; neque enim incruenta ea fuit Mathiæ victoria. A) Sed neque fructu victoriæ caruit: Stephanus enim Moldaviæ Regulus abunde Hungarorum expertus fortitudinem miſſo ſupplice libello, maluit deſerto Mahomete ad legitimi Domini ſui Hungariæ Regis clientelam redire, quam ſecundo vindictam provocare. Itaque Mathias hominem obedientiam profeſſum in fidem

A) Id fortaſſe in cauſa erat, ut Poloni Scriptores Mathiam a Moldavis victum poſteris tradere non dubitarint: ſed enim major Ranzano, Bonfinio & M. Thurotzio oculato teſti habenda fides, qui Chronici pag. 475. de hac pugna agens „Rex *inquit*, „ triumphum præclarum atque memorabilem obti- „ nuit, unde & vexilla plurima in ſignum inclitæ „ victoriæ ſuæ Budam usque adduxit, quæ magna „ cum celebritate in Parochiali Glorioſiſſimæ Virgi- „ nis Mariæ Eccleſia locata cernuntur etiam hodie„ ita Thurotzius. Quæ vexilla ſi Cromerus & Michovius vidiſſent, haud dubie palinodiam ceciniſſent. His conſentit Inſcriptio templi Coronenſis in Tranſilvania: An. MCCCCLXVII. *Mathias Rex proficiſcitur in Moldaviam poſt Feſtum S. Martini, atque eam Hungariæ ſubjicit.*

fidem recepit, atque una Moldaviam, quæ jam inde a Sigiſmundi temporibus jam Polonos, jam Turcas agnoſcebat Dominos, ſub ſacræ Coronæ Hungaricæ jugum miſit An. MCCCCLXVII. ſicque firmiorem ſibi reddidit Walachiæ una poſſeſſionem, quam viſo capueque Waywoda jam A. MCCCCLXII. ad officium revocaverat. A) Atque ex eo tempore Stephanus Moldavus in fide perſtitit, utilemque non una vice contra Turcas navavit operam. B) Cete- [illegible] rum

A) Quo ſibi & Sacræ Coronæ fideliores, ac adverſus Turcas promptiores redderet Tranſalpinos Walachiæ & Moldaviæ Wayvodas Mathias Rex, in Conventu An. MCCCCLXVII. apud Tranſilvanos habito conſtituit, ut ditiones: *Fogaras*, *Radna* & *Omlás* in Tranſilvania ſitæ, inſtar aliorum S. Coronæ Bonorum inviolatæ ſerventur, neque unquam alienari poſſint, idque propterea, ut ſi Walachiæ Moldaviæve Wayvodæ a Turcis premerentur, in Tranſilvaniam ſe recipere, ac e dictorum bonorum fructibus vitam pro dignitate traducere poſſint. Patet id ex Mathiæ Regis Epiſtola VI. Part. III. pag. 11. edit. Caſſov.

B) Patet id ex literis Mathiæ ad Stephanum Moldavum datis Epiſt. Mathiæ Corvini Tom. IV. pag. 146. Ep. LIX.

Digitized by Google

MATHIAS rum Mathias duplici ea ſeditione compreſſa, priusquam e Tranſilvania excederet, eodem An. MCCCCLXVII. comitia habuit, in quibus univerſæ gentis querimoniis cedendum ratus, ærarii publici rationibus ita providit, ut una multum vectigalia relaxarit, tum vero limitum tuendorum & militiæ, ſi bellum ingrueret, faciendæ modum rationemque apud Tranſilvanos deſcripſit.

Unde enatum bellum Bohemicum?

XIV. E Tranſalpinis reverſo Mathiæ pulcherrima Bohemici Regni conſequendi occaſio oblata fuit. Georgius Podiebradius Bohemiæ Rex, ubi res ſuas firmas eſſe vidit, continuo contra jusjurandum, quo ſe inaugurationis tempore ad profitendam tuendamque religionem Catholicam obſtrinxerat, Huſſi placita propalam probare, ejus aſſeclas dignitatibus admovere, ex adverſo Catholicos ſolo fidei odio magiſtratibus dejicere, opibus ſpoliare, omnique injuriarum genere afficere. Ea Regis ſui agendi ratione commoti Catholici Regni Ordines, cum necquidquam precibus pro-

ſice-

Digitized by Google

MATHIAS

ſcerent, nec ullum domi malis remedium appareret, ad Romani Pontificis Pauli II., Cæſaris Friderici, Regum, Principumque Catholicorum æquitatem opemque confugerunt. At enim Georgius & militiæ robore, & Huſſitarum favore fretus, tantum abeſt, ut idcirco a vexandis Catholicis abſtineret, ut etiam Cæſari bellum inferre non dubitarit propterea, quod is Catholicorum patrocinium ſuſcepiſſet, atque Imperii Principes in eum concitare ſtuduiſſet. Pontifex poſt adhibita incaſſum monita, Georgium denique ob hæreſim Catholicorum ſacrorum communione privavit; collatisque cum Cæſare conſiliis, non ſolum rei Catholicæ in Bohemia reparandæ curam, verum etiam Bohemiæ coronam Caſimiro Poloniæ Regi obtulit Catholicis Bohemiæ ordinibus id vehementer optantibus. Sed Caſimirus ſive Regis exauctorationem non probaret, ſeu rei perficiendæ difficultatibus abſterreretur, & Pontifici Paulo II. & Bohemis, pro Regno, quod ſine ſanguinis profuſione obtineri non poterat, ſibi oblato egit gratias. Pontifex apud Polonum

MATHIAS

num repulſam paſſus Mathiæ Regi, dejecto Georgio Podiobradio, Bohemiam occupandam commiſit: conſilio quidem ut exiſtimabat Catholicæ Religioni utiliſſimo; ſed Hungariæ parum utili; belli enim Bohemici cauſa immenſa pecuniæ vis ex Hungaria educta, non modo ærarium Regium, verum etiam urbium ac privatorum facultates vehementer attritæ exhauſtæque ſunt: adhoc fervente bello Bohemico Turcarum res in dies creſcebant, brevi funeſtum Hungaris allaturæ exitium. Ceterum ut erat gloriæ avidiſſimus, libentiſſime oblatam ſibi a Rom. Pontifice provinciam admiſit Mathias, cum religionis ſtudio; tum vero quod Fridericus Imperator promitteret, ſe ei, exauctorato Georgio, Bohemiam feudi nomine collaturum, ubi primum Huſſitas profligaſſet. Tanti Regni obtinendi ſpe animatus Mathias, A. MCCCCLXVIII. Agriam ſuis comitia indixit, novæ expeditionis rationem redditurus: cupiebat nempe id bellum probari Hungaris, ut ſubinde eo fidentius ad id proſequendum neceſſaria ſubſidia poſtulare poſſet: neque ſpe ſua de-

luſus

lapſus fuit. Pleriſque ob exercita olim latrocinia in Bohemos commotis honeſtum & utile bellum viſum fuit, ac idcirco novi in illud ſumtus, nova ſupplementa pronis voluntatibus deſtinata ſunt. Apparato ſine mora bello, Mathias priusquam in hoſticum proficiſceretur, An. MCCCCLXVIII. die VIII. Aprilis Poſonio ad Catholicos Bohemiæ Ordines litteras dedit, quibus eos ad jungenda ſecum arma excitabat. Mox promotis caſtris, exercitum prope Laam finitimum Auſtriæ oppidum explicuit, ubi non contemnenda militum ſupplementa a Friderico Cæſare accepit. MATHIAS

XV. Bellum Bohemicum maximis ceptum animis paulo plus Mathiæ creavit moleſtiæ, quam initio ſibi perſuaſerat: adfuit quippe continuo Georgius Rex, veteranasque copias diſciplina militari probe exercitas ad Znoimam Moraviæ Urbem Hungaris oppoſuit. Quotidianis in præliis alternante fortuna dies multi extracti, quin decretorio decerneretur certamine, Georgio Adoleſcentis Regis felicitatem; Mathia Ve- Quo ſucceſſu geſtum?

Digitized by Google

[redacted]

MATHIAS. terani Ducis fortitudinem metuente. Actum deinde erat de induciis, quarum opportunitate pax conficeretur; hujus porro hæc præcipua fuere capita: Georgius ſuis cum Huſſitis ad Romano-Catholicæ Eccleſiæ ſinum rediret, ablata Catholicis Bohemiæ Proceribus bona reſtitueret. Sed ea tractatio in irritum poſtea abiit. Georgio in Bohemiam ad hiberna redeunte, Mathias relictis; quæ Spilbergam obſiderent, aliquot Hungarorum legionibus, pariter domum reverſus fuit, nova pecuniæ ſupplementa ad continuandum id bellum a ſuis petiturus: his poſtea impetratis A) in Moraviam revolans Spilberga ſeptimo oppugnationis menſe An. MCCCCLXIX. deditione capta, Olomucium conceſſit. Hic eum Bohemi Mora-

A) Subſidia hæc Decreta ſunt in Comitiis Poſonienſibus, in quibus una & Rex, & Proceres ejus nomine fidem dedere, id genus vectigal præter morem impetratum minime in conſuetudinem abiturum, ut patet ex litteris die XXVIII. Septembris Anno MCCCCLXVIII. ibidem datis, quas Conſule in Annal. Hung. ad hunc annum.

Digitized by Google

Moravique proceres, quanquam reluctantem aliquamdiu, Regem ſalutavere; reditum poſtea Brunam; ubi Cæſareo & Pontificio Legatis conſentientibus, ſingulari quadam Corona, e D. Virginis Deiparæ ſimulacro detracta, V. nonas Maji Anno MCCCCLXIX. in æde D. Jacobi inauguratus, Regni Bohemiæ titulos uſurpare cepit. Peracta coronatione data & accepta ab Ordinibus pro more fide, Wratislaviam profectus Mathias feria V. poſt feſtum SS. Trinitatis eodem anno Sacramentum fidelitatis ab Urbis Conſule recepit: id ipſum paulo poſt a Luſatiæ primoribus præſtitum. Tot ditionum defectione offenſus Georgius, cum una de Regno filiis huſſitica labe infectis tranſcribendo plane deſperatum cerneret, id ſaltem ſibi agendum putavit, ut illud vita comite retinere ſibi liceret, Mathiam autem a Bohemiæ totius obtinendæ ſpe, quam longiſſime removeret. Itaque quod bello nequiverat, artibus perfecturus, fœderatos a Mathiæ partibus abducere, novosque in eum hoſtes concitare decrevit. Res, ut mox narraturi ſumus, MATHIAS.

 ceſſit

MATHIAS » *quitur*, de ſingulis portis per totum
» Regnum ſingulos centum denarios ſive
» unum florenum aureum; ſic ut hoc eo-
» rum juvamine ſicut a communitate po-
» pulorum, ita a Civitatibus, oppidis &
» villis, ac poſſeſſionibus Coronæ, tam
» liberis, quam aliis, ac etiam a bonis
» omnium Prælatorum, Baronum & No-
» bilium, nemine demto, nec non a bo-
» nis Illuſtris Dominæ Genitricis, *Eliſa-*
» *betha*, ſecundum modum tributi fiſci
» regalis ſive lucri Cameræ, ſuper portas
» imponeretur vel exigeretur. - - Quod
» poſtquam, *ut Mathias proſequitur*, ob-
» tulerunt, quia neceſſitates prædictæ re-
» quirebant, & quia etiam promiſſioni no-
» ſtræ Poſonii factæ contrarium non vide-
» batur; quando ultro offertur - - acce-
» ptavimus. » Hunc in modum Mathias
cum Hungarorum arbitrio ac liberalitati
ſubſidia decernenda commiſit, citra fidei
Poſonii, de non exigendo tributo, datæ
jacturam, opulentiſſima a ſuis ſtipendia ob-
tinuit; ſed in belli præſertim Turcici uſus

con-

Digitized by Google

MATHIAS

converteṅda. a) Novis itaque ex Hungaria advectis pecuniæ ſubſidiis in Moraviam eodem Anno remeavit. Currenti calcar addidit Paulus II. Pontifex, cum ei anno inſequente per Gabrielem de Verona ſolitum Catholicæ Religionis defenſoribus munus Pileum & gladium, adjectis XVIII. aureorum millibus, transmiſit. Verum inania ea evaſere ſtudia, Georgio Bohemiæ Rege, die XXII. Martii Anno MCCCC. LXXI. ex hydrope ſublato; quæ mors Mathiæ conatus penitus afflixit. Bohemi enim Huſſitæ celebratis propere Kutthnæ comitiis, ut Georgio viventi promiſerant, Uladislaum Caſimiri Pol. Regis filium Regem elegere, Catholicis ipſis conſentientibus,

X 5 quod

a) Ut Generoſum hoc Gentis Hungaricæ in ſe ſtudium aleret, porroque etiam animaret Mathias, ſolenniter iterum cavit, ſe nullo unquam tempore Hungaris invitis ac contra eorum voluntatem contributionem impoſiturum, id quod nonnullorum Antiſtitum & Baronum ſubſcriptione ac Sigillis in teſtimonium roborari voluit. Exſtant Literæ horum comitiorum in Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCC. LXX.

MATHIAS quod plurium jam annorum cum Mathia Rege conſuetudine, acrem illius indolem arrogantemque auctoritatem clam faſtidire ac deteſtari ceperant. Nec Uladislaus Bohemorum deſideria diu moratus, eodem adhuc anno numeroſo cum exercitu Pragam profectus, XXII. Septembris ſolenni ritu ſolitaque Regni Corona incinctus fuit, ſummis Sixti IV. novi Pontificis, qui Mathiæ favebat impenſius, ingratiis; gaudente autem Friderico Cæſare, qui contra quam olim promiſerat, inveſtituram ut vocant, quam Mathiæ negaret, novo Regi Uladislao ſerius tamen transmiſit. Vitio datum a multis Mathiæ, quod non continuo audita Georgii morte, Pragam contenderit, aut ſaltem Uladislaum occupatis tempeſtive itineribus, Bohemici Regni aditu prohibuerit, verum non ita res Mathiæ expeditæ erant, ut æmulum bello petere poſſet: Caſimirus enim Rex Poloniæ eodem prope tempore filiorum alterum D. Caſimirum cum exercitu in Hungariam miſerat; partim ſpe Regni a Joanne Strigonienſi Archi-Epiſcopo oblati, partim ut Mathia ad ſua

tuenda

MATHIAS

tuenda domum revocato, tutius alteri filiorum Uladiſlao iter in Bohemiam redderet. Ex eo tempore gemino cum hoſte Caſimiro nempe Poloniæ, & Uladislao Bohemiæ Regibus Bohemiæ cauſa bellum gerendum fuit. Quamvis autem Bohemiam ſubjugare nequiverit Mathias; ſatis tamen ad illius gloriam facit, quod Moraviam, Sileſiam, & Luſatiam armis ſuis conſtanter in obſequio continuerit, nec quidquam ſibi a Polonis eripi ſiverit. Ceterum Mathias diuturni belli tædio captus, ac una in Turcas expeditionem animo complexus Olomucii An. MCCCCLXXIX. pacem cum Uladiſlao Bohemiæ Rege iniit, per quam ei Moraviæ, Sileſiæ & Luſatiæ poſſeſſio adjudicata fuit, A) qui unicus belli Bohemici decennio

A) His pactis concordia coaluit: Uladiſlaus Bohemiam: Mathias ejus titulos cum Moravia, Sileſia, & Luſatia poſſideret. Si prior ille decederet, hic ſine mora in Regno ſuccederet; ſin Mathias prior obiret; tres illæ Provinciæ perſolutis prius Hungariæ XL. aureorum millibus ad Bohemiam redirent. Hæc VII. idus Decembr. ab utriusque partis

Digitized by Google

MATHIAS cennio & amplius geſti fructus exſtitit. Eadem occaſione ſtabilita cum Poloniæ Rege Caſimiro Concordia, vel potius pacta ea innovata ſunt, quæ An. MCCCCLXXIV. ab utriusque partis Oratoribus in Antiqua Villa confecta Mathias Rex die XXIII. Aprilis eodem anno ſolenni diplomate Budæ edito roboraverat. A) Atque ſic Polonico æque

---

tis Proceribus ſignata, anno inſequente MCCCC. LXXX. Reges ipſi Mathias & Uladislaus Olomucii convenientes rata habuere.

A) Mirum ſane in his pactis nullam diſerte Ruſſiæ & Podoliæ mentionem fieri; neque tamen idcirco juribus ſuis antiquis renunciavere Hungari: quin imo non obſcure eadem innovata fuiſſe vel ex eo colligi poſſe videtur, quod permiſſum ſit parti utrique jura ſua mutua per conventus in limitibus Regni habendos, more veteri perſequi. En verba ipſa: „Si alter Regum ab altero, ſive Regnum aliquid ſibi deberi putaverit, ſi per internuncios & „literas mutuas concordare non potuerint, tunc „more veteri & Prædeceſſorum Regum, Prælato„rum & Baronum utriusque Regni conſuetudine, „dictam his locis conſuetis teneatur, in qua Præ„lati & Barones utrinque conveniant, & bona fide „juri-

æque ac Bohemico bello non ſine Mathiæ Regis Victoris gloria finis impoſitus fuit.

MATHIAS

Unde enatæ domi turbæ?

XVII. Quanquam fatendum eſt, turbas, quæ durante bello Bohemico, in Hungaria exortæ ſunt, maximos fuiſſe obices, quo minus a Podiebradii morte univerſum Bohemiæ Regnum armis ſuis Mathias expugnaret: ad ſua enim tuenda revocatus, liberum Uladislao æmulo Pragam tranſitum relinquere neceſſe habuit. Turbarum porro in Hungaria præcipuus auctor fuit Caſimirus Poloniæ Rex, A) quas eo facilius fuit

„ juribus & rationibus utriusque partis inſpectis amicabiliter concordent. „ Tabulas fœderis Cl. Dogiel Schol. Piarum Codice Diplom. Pol. Tom. I. edidit. Item Cl. Wagner Analect. Scepuſii Sacri & Profani Tom. I. pag. 16.

A) Cum Caſimiri Regis Oratores An. MCCCC. LXXIX. Viſſegradi Mathiæ Regi objeciſſent: quod is nonnullos Poloniæ optimates bello durante in Caſimirum concitarit. „ Mathias Rex ſubridens renunciate, inquit, Regi veſtro, olim me puerum „ a præceptoribus meis tale Noema didiciſſe, honeſtus eſt error eorum, qui magnos Duces ſe- „ quun-

Digitized by Google

MATHIAS fuit ſuſcitare, quod ſub idem tempus Sacer æque ac profanus Regni Primorum Ordo a Rege diſſideret. Hujus variæ a Scriptoribus produntur cauſæ. A) Imprimis Joannes Vitézius Strigonienſis Archiepiſcopus, ægre ferebat, auctoritatem ſuam, qua pluribus annis in aula Hungarica multorum ingratiis pollebat, a tempore aliquo collabi cepiſſe. Ut enim Mathias ætate junior multum viro de ſe optime ſane merito deferebat; ita adultior factus, poſtquam & ingenio ſuo & rerum uſu multa condidiciſſet, parum ejus conſiliis tribuere cepit: nam

„ quuntur; anteit me ætate Caſimirus Rex, eo igitur Magiſtro & Duce uſus ſum: concitavit ipſe in me non ſolum præcipuos Regni mei Epiſcopos, & proceres; verum etiam ſeditioſos univerſo juvit exercitu, ut me ex Regno deturbarent, non igitur mirabitur, ſi ego leniter exemplum illud aliquando imitari conatus ſim. Erubuerunt Legati, qui meminerant vera Mathiam Regem loqui. „ Cureus in Annal. Sileſiæ, Galeotus item Cap. IV. *De dictis & Factis Regis Mathiæ.*

A) Vide Bonfinium Dec. IV. Lib. III. Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCCLXXI.

Digitized by Google

MATHIAS

nam & ingenioſe refellebat illius ſententiam, & multa ejus voluntati contraria ſtatuebat, ut appareret, velle quidem eum aliena ſenſa audire, nolle tamen in ſummo imperio ullius voluntati ſubjectum eſſe. Ad hanc gratiæ Regiæ jacturam acceſſere onera illa, quæ Mathias conſentiente Romano Pontifice cum univerſis Hungariæ Prælatis; tum vero nominatim Joanni Vitézio Strigonienſi Archiepiſcopo imponebat, cetera inter huic cum alias decimas lucri Cameræ, tum vero ex mineris & monetarum cuſione in Hungaria, Sclavonia, & Tranſilvania obvenientes ademit: ad hæc aliquot pinguia Sacerdotia, quæ ante, cum gratia pollebat Vitézius, dono acceperat, nunc eidem ſuſtulit. Denique VII. millia florenorum auri, quæ vir locuples in Sacros aut literarios uſus deſtinata habebat, Mathias mutui nomine ſibi numerari coegit in belli uſus convertenda. Neque ceteris Hungariæ Prælatis parcitum, qui maximam reddituum ſuorum partem Regiis quæſtoribus conſignare jubebantur, præter nova annis ſingulis tributa ſingulis a portu exacta totique

Digitized by Google

MATHIAS

que genti communia: atque hoc a Prælatis tantam vim auri exigendi conſilium Mathiæ ſuggeſtum ferunt a Laurentio Roborella Legato Apoſtolico. Ob quæ omnia Mathias odioſus denique ſuis eſſe incipiebat, præcipue quod tantos ſumtus in bellum inutile profundi dolebant, qui adverſum Turcas latius in dies graſſantes majore cum fœnore adhiberi poterant. His rerum rationibus utendum ratus Caſimirus, occultis litteris & nunciis Hungarorum animos filio ſuo Duci Caſimiro, qui poſtea SS. Faſtis adſcriptus fuit, conciliare adlaboravit: quod cum Fridericus Imperator pariter ſolerter ageret, Vitézius collatis cum ægra Procerum parte conſiliis, eo demum ſe induci paſſus eſt, ut, Regnum Hungariæ, quod olim cum capitis & fortunarum diſcrimine Mathiæ Regi quæſiverat, nunc Caſimiro Duci per Legatos offerre non erubuerit. Rex Caſimirus ea re cognita, nil cunctandum ratus A. MCCCCLXXI. Ducem Caſimirum filium cum XX. millibus Polonorum in Hungariam dimiſit eo plane tempore, quo Uladiſlaus cum altero exer-

citu

MATHIAS

citu in Bohemiam irrumpebat. Et favit Polono fortuna: Hungariam ingreſſus recta Agriam tetendit, ubi novis factioſorum acceſſionibus aucto milite, magnam Regni partem nullo reſiſtente emenſus, Nitriam properavit, ut Mathiæ in Moravia hærenti reditum interciperet.

Qua arte ſopitæ?

XVIII. Plena res erat periculi: quod plerique Hungariæ comitatus præſentis Polonici exercitus metu in Caſimiri fidem conceſſerint. Mathias ſubito eo diſcrimine aliquantum turbatus ubi collegit animum, omiſſa Bohemia ad recuperandam Hungariam curas transtulit. Itaque Bohemis, qui a fronte erant, & Polonis, qui terga præmebant inſigniter eluſis, longo circuitu cum delectis aliquot Legionibus in Hungariam repente inexpectatus rediit: tum data fide publica Antiſtites Proceresque Budam evocat: rerum ab ſe hucusque geſtarum rationem reddit: diſſimulato deinde vindictæ ſtudio, ad preces converſus, omnes & ſingulos orat atque obteſtatur, ne ſe tanto in diſcrimine deſtituerent, &

MATHIAS quem Regem aliquando ſponte elegiſſent, tueri pergerent: precibus honorum & opum pollicitationes adjunxit. His aliisque, qui præſentes aderant, in Regis commiſerationem adducti, denuo ſuam illi fidem obligant, ſummaque celeritate decem & octo millium exercitum conſcribunt. Tanto recreatus ſubſidio Mathias recta Nitriam contendit, libereque permiſſo abire Caſimiro Duce, A) ceteros Polonos facile e Regno profligat. Mox a Caſimiri diſceſſu, denuo Budam conciti ſunt Regni Ordines: actum illic de revocanda concordia, & priſtina Regem inter ac Archiepiſcopum Strigonienſ. amicitia reſtituenda. Coaluit hæc agentibus potiſſimum Gabriele Colocenſi, Joanne Agrienſi Præſulibus, Michaele Orſzág de Gúth Palatino, Emerico de Zapolya Comite Scepuſienſi, idque certis conditio-

A) Caſimirus in arce Nitrienſi diu obſeſſus, quod paterno potius imperio; quam ſua voluntate Regnum invaſerat, bona Mathiæ Regis venia clam ex arce elapſus domum rediit. Ceteri Poloni fame adacti deditionem fecere.

Digitized by Google

MATHIAS

ditionibus, quæ in tabulas relatæ utrinque ſunt ſignatæ. A) Vitézii Archiepiſcopi exemplo ſine mora ceteri omnes ad obſequium rediere. Diſcuſſo hunc in modum periculo, Mathias contra quam cautum erat, vindictam de Vitézio ſumſit: cum enim nil deinceps ſibi metuendum videret, virum optime a puero de ſe meritum ac ætate jam provectum, nec jam ſiniſtri quid metuentem repente comprehendi, ac in Viſſegradenſis arcis carcerem conjici juſſit An. MCCCCLXXII. Multis ea ultio diſplicuit: neque enim novi alicujus criminis reus erat Vitézius, priorem autem perfidiam ſolenni diplomate Rex condonaverat. Niſi forte bello Polonico necdum terminato, Mathias minime tutum putaret, Vitézium Caſimiri Regis antea partibus addictum in libertate verſari. Itaque Sacer æque ac profanus Ordo Regem adiere, liberumque dimitti petiere Archiepiſcopum. Horum precibus & admonitionibus placatus

A) Vide litteras Mathiæ ſub exitum Anni MCCCCLXXI. datas in Annal. Reg. Hung. ad an. cit.

MATHIAS. demum Mathias Vitézium libertati reſtituit, verum arctiſſimis omnino circumſcriptum limitibus, Joanne Alemanno Agrienſi Epiſcopo omnia Vitézii facta & dicta obſervare juſſo, ut is cuſtodiam ſolum mutaſſe videretur. Cetera inter: Caſtrum Strigonienſe manibus & imperio Joannis Agrienſis conſignatum fuit, Vitézio vetitum inde pedem efferre, quamdiu bellum cum Polonis duraret, eidem non niſi triginta famuli ad obſequia conceſſi, verum & hi juramento fidelitatis Agrienſi Epiſcopo obnoxii. A) Eam ignominiam adeo acerbe tulit Archiepiſcopus, ut contracta inde graviſſima ægritudine, non multo poſt vitam clauſerit B), caſuque ſuo illud Solonis verum

A) Patet ex litteris An. MCCCCLXXII. Budæ feria IV. proxima poſt Feſtum Reſurrectionis Domini.

A) Obiit Joannes Vitézius Archiepiſcopus Strigonii die IX. Aug. An. MCCCCLXXII. relicta ibidem inſigni Bibliotheca, quam Corvinianæ æmulam maximis ſumtibus exſtruxerat. Succeſſorem habuit Joannem Alemannum Wratislavienſis Carpentarii filium

MATHIAS

rum eſſe probaverit, neminem ante obitum felicem exiſtimari debere. Felicior equidem futurus erat, ſi maxima illa Mathiæ Regis in ſe gratia ita ſobrie uſus fuiſſet, ut una ſemper ſe ſubjectum, regiosque favores inſtabiles meminiſſet.

Qua diligentia res geſta cum Turcis?

XIX. Hæc quæ recenſuimus cum Bohemis & Polonis bella, ſeceſſiones domeſticæ, negata a Principibus Chriſtianis, ſæpius licet promiſſa ſubſidia, & quas paulo poſt explicaturi ſumus, cum Friderico Cæſare lites, in cauſa fuere, quod Mathias paulo minore diligentia & ſucceſſu Ottomanorum in Europa progreſſiones repreſſerit, ad quod eum & Romanorum Pontificum & Principum Chriſtianorum hortationes crebro excitabant. Et vero graviter eapropter Scriptores exteri carpunt Mathiam, quod nimia Germanicarum ditionum appetentia, finitimas Christianorum di-

lium Eppum Agrienſem gloriæ ſuæ obtrectatorem præcipuum. Inſpice ſeriem Archiepiſcop. Strigonienſium P. Nicolai Schmitt e S. J.

MATHIAS ditiones Turcis prodidiſſet. At enim gravius, quam merebatur, invidiæ objectus ille fuit; nam ut ceteras bellorum ab eo ſuſceptorum, ac cum laude geſtorum cauſas taceamus, peracerbum id erat Regi Mathiæ, quod & a Friderico Cæſare & a Caſimiro Poloniæ Rege ſæpius in eum jactata ſunt convicia, exprobrata generis obſcuritas, ſollicitati ad defectionem Hungari, negata ſponſa: ac a Friderico quidem Cunegundis; a Caſimiro vero Hedvigis filiæ, quarum alterutram ardenter expetebat Mathias: quæ omnia generoſam ejus indolem adeo ſuccenderant, ut exaſperato animo, lites forte enatas bello potius perſequi, quam pace terminare maluerit. Ceterum etſi cum potentiſſimis his vicinis Chriſtianis Principibus bello implicitus eſſet, numeroſos tamen adverſum Turcas in limitibus alebat exercitus, quibuscum vel ſuo vel Legatorum ductu, ſæpius ingenti nominis Hungarici gloria dimicavit. Adoleſcens adhuc ut diximus, Jaitzam cum omni Bosnia ſubegit, An. MCCCCLXIII. ac ſubinde ab ejus arcis obſidione famige-

ratum

Digitized by Google

ratum illum Græcorum Domitorem Mahometem anno inſequente adventus ſui fama in Macedoniam, adeo præcipiti fuga ſe ſubducere coegit, ut caſtra cum impedimentis omnibus machinisque bellicis Hungaro militi diripienda reliquerit. Alias etiam eundem Mahometem conſimili fama a Tranſilvania prohibuit. An. MCCCC. LXXV. Sabacſium ad Savi ripam ſitum cæſis V. millibus Turcarum armata manu expugnavit. Hæc & alia nonnulla Mathiæ auſpiciis geſta. Per Legatos autem bellum non minus feliciter adminiſtratum. Talis fuit Stephanus de Báthor Tranſilvaniæ Wayvoda, qui cum rara vitæ ſanctimonia militarem Hungaricam virtutem egregie copulare noverat, inſignesque de Turcis triumphos reportavit. Hoc Duce conſerto ad Kenyérmező in Tranſilvania prælio, XXX. Turcarum millia cecidere An. M. CCCCLXXIX. ut minora omittam certamina vaſtatasque hoſtium ditiones. A) Præterea

MATHIAS

A) Sic Stephanus Moldaviæ Wayvoda, quod ad Sacræ Coronæ Hungaricæ obſequium rediiſſet, a Maho-

MATHIAS terea Pauli Kiniſii ductu poſt iteratas clades, ejectus penitus e Servia hoſtis Ann. MCCCCLXXXII. Parum autem refert an quis per ſe, aut per idoneos ab ſe delectos Duces bellum conficiat. Si bella omnia ad calculum revoces, tametſi fatendum ſit, plus longe feliciusque in Turcas agi potuiſſe, mirum tamen videri poteſt, Mathiam Regem tot eodem prope tempore bellis, diverſo loco geſtis, ære militeque ſufficere potuiſſe.

Quæ origo belli Auſtriaci?

XX. Bellum Auſtriacum, niſi quod cum Chriſtiano Principe geſtum ſit, omnium maximam Mathiæ Regi gloriam procuravit. Multæ illius a Scriptoribus produntur cauſæ: Fridericus etſi reſtituta corona pacem inierat, peſſime tamen ſemper oderat

Mahomete bello appetitus, acceptis in ſocietatem XVI. Tranſilvanorum & V. Siculorum millibus, Turcas in inſidias præcipitatos, ereptis centenis ſignis militaribus, memorabili clade mulctavit An. MCCCCLXXV. plura cum Turcis certamina ſparſim lege apud Bonfinium, & in Annal. Reg. Hung.

Digitized by Google

MATHIAS

tat Mathiam, non alio fere nomine, ac quod regia e domo non eſſet. Hinc viduo & inſtanter petenti, filiam Cunegundem dare conjugem detrectavit; effecit una apud Caſimirum, ut is pariter Hedvigem filiam negaret. Ut adeo Regia e domo uxorem accipere certo Mathiæ, Beatrix Neapolitana Ferdinandi Regis filia quærenda fuerit. A) Gemina ſponſæ repulſa concitato Mathiæ dolorem auxit Bohemiæ Regni jactura, quam non alteri, quam Friderico adſcribendam putavit. Is enim liberis gentis ſuffragiis Olomucii, ut diximus, electo inveſtituram ſe daturum receperat; eo deinde promiſſo inſuper habito, Uladislaum Bohemiæ Regem inveſtivit Ann. MCCCCLXXVII. Neque hic quievere Friderici in Mathiam odia: ſive ſua ſponte, ſive adminiſtrorum conſilio, crebras ex

Y 5 Hun-

A) Sponſio Nuptiarum peracta Vratislaviæ Februario menſe An. MCCCCLXXV. Nuptiæ autem altero poſt anno Budæ incredibili magnificentia, quam deſcriptam reperies in Scriptoribus Hungariæ. Tom. I. Parte II. pag. 200. edit. Tyrnav.

Digitized by Google

MATHIAS Hungaria per ſuos agi ſivit prædas, quibus cumulus acceſſit, quod cum Mathias nuptiis cum Beatrice occupatus hilaritatibus vacabat, Friderici copiæ nulla provocatæ injuria infeſtis ſignis in Hungariam incurrerint: A) ægre nempe ferebat Fridericus, Mathiam ad nuptias applicuiſſe animum, quod ſi ex eo conjugio hæres naſceretur, venebatur, ne ipſe, ſuique poſteri a ſucceſſione in Hungaria quam longiſſime removerentur: itaque cum nuptias impedire non poſſet, ut minimum earum celebritatem turbare, obſcurareque voluit. Quibus omnibus ultra modum irritatus Mathias, poſita filii reverentia, bellum Friderico Imperatori denunciavit. B) Neque diu tergiverſatus, diviſo trifariam exercitu An. MCCCCLXXVII. in Auſtriam ſe infudit. Expugnato Hamburgo Viennam pro-

A) Fuſius hæc Bonfinius Dec. IV. Lib. IV. p. 608. & Sambucus in Appendice ad Ranzanum.

B) Litteras Mathiæ & Friderici Cæſaris, tum publicatas vide in Annal. Reg. Hung. ad Annum MCCCCLXXVII.

Digitized by Google

promota caſtra: quam cum ſpe ſua firmiorem reperiſſet Mathias, occupatis præſidioque communitis pontibus, lenta eam premi voluit obſidione: tum dimiſſis quaquaverſum copiis, LXX. arces & oppida Auſtriæ in ſuam redegit poteſtatem; ut adeo præter Lincium vix aliqua regionis pars Friderico eſſet reliqua. MATHIAS

XXI. Tot ditionum jactura commotus Fridericus, facile ad pacis conſilia flexit animum, occultisque nunciis Beatricis Reginæ gratiam ſibi conciliare ſtuduit; cujus opera placato Mathia, induciæ impetratæ ſunt. Per eam occaſionem miſſus fuit á Mathia ad Cæſarem Orator Gabriel ex Ordine minorum S. P. Franciſci Agrienſis Epiſcopus idemque S. R. E. Cardinalis: de pace Corneuburgi eodem anno MCCCC. LXXVII. die I. Decembris ita tranſactum: Cæſar ad ſarciendas belli impenſas centum aureorum millia intra anni ſpatium Mathiæ numeraret: litteras inſuper inveſtituræ, ut vocant, pro Regno Bohemiæ traderet, atque ea omnino forma; qua eas pro Ula- Quibus pactis ſopitum?

dislao

MATHIAS dislao Polono confici curarat, idque propterea, ut Uladislao forte ſine liberis mortuo, ejus Regni poſſeſſionem eo ſecurius adiret Mathias: tum venia daretur omnibus qui alterutri belligerantium adhæſerant: quibus omnibus rite peractis, Mathias totam rurſum Auſtriam A) Friderico reſtitueret. Præter has conditiones meminere Scriptores, Fridericum inſuper titulo Regis Hungariæ, & veteribus ſuis in Hungariam juribus, quæ ex pactis diadematis redditi occaſione initis acquiſiverat, renunciaſſe. B) Neque alienum id a vero eſt, quis enim credat Mathiam nullo ſuo commodo, tam facile Auſtria omni bello capta deceſſurum fuiſſe atque eo plane tempore, quo ducta recens adoleſcente conjuge, hæredem cupiebat ac ſperare poterat; jura porro Friderici in Hungariam Mathiæ animum vel maxi-

A) Tabularum fragmentum videre potes in Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCCLXXVII.

B) Michovius in Chron. Reg. Pol. Lib. IV. Cap. LXXII. Cromerus Rer. Polon. Lib. XXVIII. Gerardus de Roo. Hiſtor. Auſtr. Lib. VIII.

Digitized by Google

maxime. ſollicitum ſemper reddebant. Ceterum tametſi pacta illa Coronationis tempore inita pace hac expiraverint, rurſum tamen novis Uladislaum inter & Maximilianum fœderibus inſtaurata ſunt, ut ſuo loco dicetur. Hac ratione ubi ab armis diſceſſum eſt, Mathias poſitis interea belli ſtudiis, totum ſe litteris in Hungaria ſtabiliendis novisque molitionibus exornandæ Budenſi Aulæ addixit.

MATHIAS

XXII. Elapſis in utili hoc otio annis aliquot, gravius quam unquam antea concitato Regis Mathiæ animo, fatale ſane Friderico exarſit bellum. Cauſæ multæ narrantur: dilata primum; mox negata ex pactis debita centum aureorum millium ſolutio: A) impedita per Fridericum, quæ in

Cur recrudult?

A) Pecuniam hanc ad redimendam pacem Auſtriæ ordines Friderico jam An. MCCCCLXXX. perſolverant, ipſe tamen induci non potuit, ut eandem Mathiæ Regi ex pacto numeraret, fidem facit Chronicon Salisburg. apud Cl. Hieronymum Pez, his verbis: „ Imperator graviſſimam Steuram *ſive tributum*

MATHIAS in Turcicum bellum a Chriſtianis Principibus offerebantur, ſubſidia. Illud autem multo acerbiſſimum videbatur, quo tempore Mathias cum Turcis ad Savum rem agebat, Fridericus, ut erat ſenio jam confectus, facile ſe ab aſſentatoribus induci paſſus fuit, ut ea Mathiæ abſentia in utilitatem ſuam ureretur. Itaque nulla provocatus injuria Sopronienſem Provinciam hoſtiliter invaſit. Ea re comperta Mathias ultra modum ira accenſus, omiſſo bello Turcico, copias omnes in unum contrahit, ſummaque celeritate in Auſtriam traducit. Bellum hoc An. MCCCCLXXX. ſecunda ceptum fortuna quatuor omnino annos continuatum fuit; ſed paulo languidius, quod & Pontifex & ceteri Principes, ac omnium creberrime Regina Beatrix Mathiam de pace interpellarent, quæ tamen con-

„ *tum* poſuit ſuper Auſtriam tam ſuper Monaſteria,
„ quam ſuper prædia & vineas & vina; ſed dicta
„ pax inter eos non diu duravit, quia Imperator
„ quidem Steuram accepit, Regi tamen *Mathiæ* nihil
„ ſolvit.

confici nunquam potuit, altero alterius conditiones reſpuente.

MATHIAS

Quanta gloria geſtum?

XIII. Demum anno MCCCCLXXXIV. paulo diligentius bellum reſumſit Mathias, occupatoque poſt VII. menſium obſidionem Corneuburgo, copias omnes Viennenſi urbi admovit die XXIII. Januarii anno inſequente; captis uno impetu pontium propugnaculis, trifariam diviſit exercitum, adeoque opportunis diſpoſuit locis, ut nil ex urbe tuto efferri inferrive poſſet. Diu invicto animo arctiſſimam illam obſidionem tulere Viennenſes: donec A) ſœviſſima adacti inedia Calendis Junii ejusdem anni deditionem fecere. Urbem ſplendidiſſima cum pompa triumphantis more ingreſſus Mathias, exercitum ad Stiriam, Carinthiam & Carnioliam populandam, & ad occupandam

A) Cum Cives Viennenſes extrema fame laborantes Fridericum de auxilio interpellaſſent, repoſuiſſe fertur, paterentur ipſi eam inediam, quam olim ſe Neoſtadii An. MCCCCLII. Ladislai Poſthumi cauſa obſeſſum tolerare coegiſſent. Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCCLXXXV.

Digitized by Google

MATHIAS dam reliquam Auſtriam dimiſit: A) quæ poſtquam pene tota B) brevi tempore in ditionem redacta fuiſſet, ut res ſuas illic ſtabiliret, ac una provincialium animos conciliaret, univerſis Auſtriæ Ordinibus Viennam conventum indixit: in quo accepto fidei Sacramento præter alia ad communem ſalutem conſtituta, ita moderate vectigalium rationes deſcripſit, ut graviſſimis, quæ a Friderico impoſitæ fuerant, exactionibus antiquatis, mitiſſima tributa impera-

A) Neoſtadium anno integro Hungarorum conatus luſit, at ubi intercluſo commeatu omni, dira fames in urbe graſſari cepit, ad extremum deditionem fecit An. MCCCCLXXXVI. die XII. Auguſti.

B) Non Auſtriam ſolum, ſed & Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ partem hoc & ſuperiori bello in Mathiæ poteſtatem veniſſe, patet ex Caſtellani Epiſcopi in Hungaria Nuncii Apoſtolici literis Romam An. MCCCCLXXXIII. ad Sixtum Pontificem datis, tum vero ex tabulis concordiæ inter Maximilianum Imperatorem & Uladislaum Hungariæ Regem An. MCCCCXCI. initis, in quibus provinciarum harum reſtitutio diſerte petitur per Maximilianum: itaque ad id tempus Hungaros in earum poſſeſſione fuiſſe oportuit.

Digitized by Google

paravit; quae nunquam deinceps ad obitum usque auxit: quin potius An. MCCCC LXXXVII. in Conventu Viennae habito declaravit. Qua moderatione id consecutus est, ut amaretur ab Auſtriacis, neque eos Hungaricae poeniteret dominationis: praecipue poſtquam plurium annorum uſu inſignem ejus ſapientiam, humanitatem, munificentiam & aequitatem perſpexere. Quanquam & ille Viennam poſtea dilexit impenſius, frequentiuſque inviſit. MATHIAS

XXIV. Fridericus praeter opinionem nobiliſſima opulentiſſimaque Auſtriae Provincia, nec non potiore Stiriae Carinthiae & Carnioliae parte ſpoliatus, cum minime ſibi tuto eſſe liceret Lincii, in octingentorum Equitum comitatu, tranquillo ſatis animo ex avita regione exceſſit, id unum ingeminans; *ſummam eſſe felicitatem, eorum, quae recuperare nequeas, oblivionem* Poſtquam annis aliquot in Belgio & Germania incaſſum militum auxilia quaeſiviſſet, pacem denique a Mathia petere in animum induxit; verum ita, ut citra pretium Quo Friderici damno?

MATHIAS

omne tota ſibi rurſus Auſtria redderetur. Riſit eam conditionem victor Mathias, negavitque ſe Provincia deceſſurum, niſi VII. centena aureorum millia prius ſibi a victo Cæſare perſolverentur. Neutro de ſententia cedere volente, pacis tractatio ad obitum usque Mathiæ adhæſit. Ac hujus quidem poſtulatio, quod Victor & Auſtriæ Dominus erat, non iniqua videbatur: Friderici autem, qui res bello amiſſas ſine ullo litro repeteret, duritiem vel ipſe Maximilianus filius improbabat, ſuadebatque Patri, ut victori aliquid concederet, mediamque pacis iniret viam. Quæ Maximiliani in judicio ferendo æquitas & prudentia vehementer Mathiæ Regi a) placuit: Friderico autem tantopere ſtomachum movit, ut filium ab omnibus deinceps de pace conſultationibus excluſum voluerit. Cæterum etſi pax nunquam coaluerit, ex quo

tamen.

---

a) Ad remunerandam hanc æquitatem Mathias dono miſit Maximiliano CCC. urnas generoſiſſimi vini Hungarici, totidem boves & XII. aureorum millia; munus eo tempore ſane quam liberale.

Digitized by Google

[illegible] Mathias Auſtriam occupaverat, ſeptennio fere ab armis ceſſatum fuit; quod Fridericus aere militeque deſtitutus ac ideirco de victoria deſperans, nil contra Hungarum Regem moliri auderet: Mathias autem iis, quae bello ceperat, contentus; tametſi nil jam ejus armis reſiſtere poterat, a perſequendo in attritum hoſtem bello abſtinendum ſibi putaverit, probe gnarus, virtutis eſſe in vindicta ipſa modum tenere; quo quidem non modo hoſtis, ſed ſui etiam victorem prodidit animum. MATHIAS

XXV. Haec inter litigia Mathias, quod ex Beatrice Regina nulla ſpes prolis appareret, ſenſim erexit animum ad ea, quae de Joanne filio e Concubina Sileſia genito ad ſolium evehendo dudum animo conceperat, in effectum deducenda. Capaciſſimum adoleſcentem Principis inſtar liberaliter eductum, a teneris, optimis uſus magiſtris, omnibus bonarum artium & virtutum ornamentis inſtrui procuraverat; quibus adeo conſpicuus ille fuit, ut niſi naſcendi labes obſtaret, ultro in eum populi

Quae conſilia Regis de Joanne filio?

 ſuffra-

Digitized by Google

MATHIAS

ſuffragia collaturi viderentur. [illegible]tim ingreſſum Liptoviæ primum Ducem, tum Troppaviæ; ac denique Sclavoniæ crearat: quo ſic honoribus opibuſque viam ei ad Regnum præpararet. Quia etiam lætiſſimis ſucceſſibus animatus, in ſpem venerat fore; ut eidem ex Habsburgo Auſtriaca Domo conjugem impetraret: quo obtento, nullum de ſucceſſione dubium apparebat. Sed enim Fridericus etſi pene omnibus Auſtriacis terris a Mathia Spoliatus erat, ſciebatque hoc pacto ſe ſibi, ſuiſque utiliſſimam pacem procuraturum; maluit quantumvis difficilem ditionum ſuarum jacturam patienter tolerare; quam permittere, ut aliqua e ſuis neptibus Principi illegitimo thoro nato collocaretur. a) Itaque Mathias Rex hac ſpe dejectus, alio curas ſuas convertit, effecitque opera Joannis Epiſcopi Varadinenſis, ut Joanni

filio

a) Auſtriacam quandam Friderici Cæſaris neptem Joanni Corvino promiſſam, ſed poſtea negatum tradit Sambucus in Appendice ad Epitomen Ranzani inter Script. Hung. Tom. I. pag. 684.

Digitized by Google

lio ſuo Maria Blanca, Galeacii Ducis Mediolanenſis filia deſponderetur. Ea re cum ob ſplendidam cum Galliæ regibus affinitatem, tum vero nova in ditiones Italicas jura mirifice lætus Mathias, cepit ſubditorum ſibi populorum Primores capere, non ſine multa auri in largitiones profuſione. Apud Hungaros quidem expedita jam Joanni Corvino videbantur omnia, poſtquam Rex Emericum de Zapolya hominem inter ſuos locupletem, conſiliisque ſuis faventem ad Palatini dignitatem Anno MCCCCLXXXV. evexerat, iisdemque in comitiis ampliſſima illius Magiſtratus jura, ad res Joannis Corvini a morte ſua ſtabiliendas opportuna; conſentientibus Regni Ordinibus, explicari procuravit. a). Multos etiam e Regni Antiſtitibus & Proceribus eo adduxit, ut jurata fide ſe ad Joan- MATHIAS.

a) Lege Comitiorum Decretum in Codice Juris Patrii: in quo ea, quæ de Palatini munere, & tutela pupilli Regii Principis conſtituta ſunt ad Joannem ſpectant. Ceterum Emericus Palatinus Mathiæ præmortuus ſpes eas Corvini afflixit.

MATHIAS

nem Corvinum eligendum obligarent. In eo deinde Mathias ſollicite elaboravit, ut Regni Bohemici jura, quæ ipſe & bello & pace acquiſiverat, in Corvinum filium transferret. Igitur Joannem Varadienſem Epiſcopum in Sileſiam deſtinavit, ut is indicto Wratislaviam conventu, de Joanne filio ſucceſſore eligendo cum ejus Provinciæ ordinibus transigeret, eodem enim adhuc anno MCCCCLXXXIX. filium, Moraviæ, Sileſiæ ac Luſatiæ Ducem conſtitui percupiebat; idque eo ardentius, quod diuturnis podagræ doloribus fractus, viciniorem ſibi mortem præſagiebat.

Qua morte ſublatus?

XXVI. Nec inanis erat metus. Principio A. MCCCCXC. ingraveſcentibus morbis, valetudinis curandæ gratia Mathias ſupremum ſe Viennam deportari juſſit: qua cœli ſolive mutatione aliquantum ſibi reſtitutus, longioris vitæ ſpe concepta, maximis de rebus aggrediendis, formidandoque in Turcas bello apparando agere cepit. Cum ea Dominica Palmarum poſt exactas in Eccleſia ſumma cum pietate horas ſex, do-

mum

Digitized by Google

MATHIAS

unum redux, ſtomachi languore laborare ſe ſenſit: A) ſumtis itaque aliquot recentibus ficubus famem, ut putabat, levare tentavit; ſed enim aliud in præcordiis hærebat malum: ſub ipſum prandii tempus, cui cum Beatrice Regina & Joanne Corvino filio aſſederat, apoplexis ictus proſternitur, adhibitisque nequidquam remediis, fracta jam voce SS. JESU nomen crebro ingeminans, editis pœnitentis animi ſignis, feria III. proxima quæ in VI. Aprilis inciderat, non ſine adſtantium luctu animam egit, Anno ætatis XLVII. B) poſtquam

Z 4 rara

A) Sambucus loco cit. refert: Mathiam mortis præſagum adſtantes Hungaros & Auſtriacos Proceres paucis hortatum, ut Joannem filium ſucceſſorem legerent: Beatricem perſoluta dote ad ſuos remitterent: denique illud præcipue Hungaris commendaſſe velut ſumme neceſſarium, ne ſtatarium militem nigrum [illegible] unquam diſſolverent, quod poſtremum utinam fuiſſet poſtea obſervatum.

B) Natus fuit Mathias Claudiopoli in Tranſilvania die XXVII. Martii An. MCCCCXLIII., ut tradit Cl. Stephanus Kaprinai in Hungaria Diplomatica Parte I. Lib. I. Diſſ. I. Cap. I.

Digitized by Google

MATHIAS rara prudentia & fortitudine duos ſupra triginta annos res Hungaricas moderatus fuiſſet: a coronatione ſua anno ſexto & viceſimo. Parentatum illi primum Viennæ fuit. Corpus defuncti regio cultu & inſignibus ad morem viventis indutum, ſuccollantibus centurionibus, ferculique auro coöperti fimbrias Proceribus, Legionumque Præfectis circumcomitantibus, ad D. Stephani Baſilicam elatum, comitantibus in pulla veſte Epiſcopis, ac univerſis Auſtriæ Ordinibus: quorum nemo fere erat, cui non tanti Principis, adeoque benigne & ſapienter ſexennio prope Auſtriæ dominantis, recordatio lacrimas expreſſerit. Peractis Viennæ funeris ſolenniis, mandata Aladario & Bodoni corporis ſecundo danubio Budam, ac inde Albam deducendi provincia. Quo ubi delatum fuit, Joannes Corvinus, Beatrice Regina & cunctis Hungariæ Ordinibus præſentibus ſplendidiſſimis habitis exequiis a) illud Regum tumulo inferri procuravit.

XXVII.

---

a) Hac occaſione Joannes Corvinus Auream Cru-

MATHIAS.

Quis illi corporis habitus?

§. XXVII. Multa quidem hucusque de rebus geſtis Mathiæ commemorata ſunt, juvat tamen pauca quædam de illius corporis animique dotibus huc adſcribere. Fuit Mathiæ ſtatura corporis aliquanto majuſcula, forma eximia, aſpectus generoſus, magnanimitatem referens, rubens facies, coma flava, vegeti & ſubnigricantes oculi: obtutus ejus liber ac rectus leonis more; oculis nunquam fere inter intuendum conniventibus: ſi quem obſtinato vultu aſpexit, favorem; ſin limis oculis, infenſum portendebat. Frons illi porrecta, caput addecens, ſine menda naſus, mentum, collum prominens: os aliquantum diductum. a) Membra ſpacioſa quidem, ſed mirum

Z 5 inter

Crucem gemmis inſignem & XLV. aureorum millibus æſtimatam Dominico Albenſi Præpoſito tum ad aras operanti donum dedit, adjecit item aureum miſſæ apparatum, quæ omnia LXXV. aureorum millium pretium æquaſſe Bonfinius Dec. V. tradit.

a) Ejus vultum eleganter expreſſum, vide apud Kaprinai in Hung. Diplom. pag. 7. ex nummo memoriali aureo, qui in Locupletiſſimo Cimelio Excellen-

MATHIAS inter ſe cohærentia, humero fuit latiore pectoreque patentiore, corpus denique totum laboris, ſudoris, inediæ toleratiſſimum; ut adeo nil facilius militari labore, nil contra domeſtico ocio difficilius perferret.

Quæ animi decora?

XXVIII. A forma corporis non abhorrebat animus, quem ante omnia Chriſtiano Principe dignæ virtutes commendabant. Quo in religionem orthodoxam eſſet ſtudio, & bello Bohemico in Huſſitas ſuſcepto, & ſingulari ſua vigilantia; qua prohibuit, ne in Hungariam peſtiferi errores irreperent, patefecit. Eximia adhæc erat in iis, quæ ad Deum pietatiſque officia pertinent, devotione ac reverentia. Ut adeo Nuncius Apoſtolicus ſcribere ad Pontificem non dubitarit, tanto ſilentio, tantaque devotione Miſſæ ſacrificio, ceteriſque Eccleſiæ cere-

cellentiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini Comitis Pauli Feſtetics de Tolna, Excelſæ Cameræ Hungarico Aulicæ Vice-Præſidis & AUGG. MM. Intimi Conſiliarii rei literariæ Mecænatis munifici aſſervatur.

Digitized by Google

cæremoniis, intereſſe ſolitum Regem Mathiam; ut robori ſibi fuerit, ſe in iis, quæ ad divinum cultum & animarum ædificationem ſpectant, a ſeculari Principe ſuperari. Religioni conjunxit propriam illam Regibus Hungaricis pietatem Marianam. a) Magnæ Hungarorum Dominæ memoriæ tum multas excitavit; cum vero ſuis e ruinis reſtituit ædes ſacras, quarum illa hodiedum Corvini nomen & inſignia oſtentat, quæ Budæ uſibus PP. Societatis Jeſu deſerviebat. Juſtitiæ autem cum ipſe eximius cultor eſſet; inſolitis plane rationibus procurabat, ut ubivis ſancte obſervaretur: ſi a Caſtris aut Aula per reipublicæ curas abeſſe licebat: clam ignotus, aut propalam Provincias, urbes, oppida, vicos obire; & quæ illic in æquitatem peccata exploraverat, ſeveris pœnis reſtituere in more habuit, idque nullo perſonarum dignita- MATHIAS

tum-

a) Primus, quod ſciam, Mathias Mariam effigie auro Hungarico novum adjecit pretium. Vide Specimen Herald. Hung. pag. 51.

[redacted]

MATHIAS.

tumque diſcrimine. Et porro, quam ipſe tenebat, peregrinandi methodo, cunctarum ſibi ſubjectarum provinciarum ſtatum, vires, aut inopiam explorabat, incolarum ingenium & ſenſa pernoſcebat, ac denique ſeu militares ſeu civiles Præfectos, ſive denique Prælatos ſuis muneribus intentos exactosque reddebat: quo, juſtitiæ ubique adminiſtrandæ ſtudio etiam infimæ plebis amorem ſibi conciliavit, æternamque ad poſteros procuravit memoriam. Ut adeo ab ejus obitu in proverbium abierit: *Mathias obiit, juſtitia periit.* Ornamenta hæc aliaque non parum obſcuravit incredibile vindictæ ſtudium, quod diu preſſum, tum, cum minime timebatur, erumpebat: præterea libido ſæpius exercita tempore viduitatis, hanc enim ille Auſtriacæ aut Polonæ ſponſæ potiendæ ſpe, diutius, nec ut viduum decebat, ſatis caſte colebat: quamvis conjugio illigatus procul ab intemperantia vixerit. Denique vitio ei dari poteſt incredibilis Aulæ luxus, quo cunctos ſui temporis Principes ſupera-

vit.

Digitized by Google

ria, a) non ſine ſubditorum ſuorum [illegible] MATHIAS

[illegible]

XXIX.

[illegible]

a) [illegible] hunc diſce ex Bonfinio, ex Nuntiorum cum Beatrice Regina Budæ habitarum narratione, tum vero ex oculato teſte Nuncio Apoſtolico qui An. MCCCCLXXXI. hæc Sixto Pontifici ſignificavit; „A quodam amico meo invitatus ſum „ad inſpiciendum Palatium, quo, pace Italiæ dixerim, in ipſa nullum præſtantius neque majus „eſt. Introduxitque in veſtiaria, - - - tot pretioſas „veſtes auro, gemmis, & margaritis onuſtas, tapetia, aulæa, tot vaſa argentea atque aurea mira „arte elaborata vidi, ut exiſtimem quinquaginta „curribus deferri non poſſe. Inter alia ſtuffam unam „ex ſolido & puro argento factam tantæ altitudinis „atque ambitus inſpexi, quod duo vix complecti „poſſent. Sunt unicorni duo, unus inſtar communis equi, alter unius aſelli cum cornu vero ſuo, „præter cruces & ornamenta altaris admiranda præter quingentos nonaginta patellos magnos & cuppas trecentas aureas, & quadra & bacilia ſine numero, quæ profecto omnia æſtimari non poſſunt, „tantum apud hunc Regem pretioſam ſupellectilem, pretioſa vaſa, ornatum artium vidi, ut Salomonis gloriam non crederem fuiſſe majorem. „Hæc ille, cui quia externus erat, fides utique major habenda eſt.

Digitized by Google

MATHIAS

Quæ regendi dotes?

XXIX. Illud mirum videri poteſt, Mathiam nec naſcendi conditione, nec inſtitutione ad Regiam dignitatem efformatum, adeo inſigniter regendi artem calluiſſe. Mens illi animusque exporrectus, & multo rerum uſu exercitus pro præceptore fuit. Res maxime arduas, a quarum eventu ſua regnive ſalus penderet, mox ab adoleſcentia per ſeſe maluit, quam per Adminiſtros tractari: Legatis ipſe promptiſſime reſpondebat, quæ autem Pontifici aut Principibus exteris ſcribenda erant ipſe dictabat. Conſilia ſua cum paucis & parce admodum communicabat, ut nonniſi rebus ad exitum deductis intelligerentur. Nemini e ſuis, etiam ſanguine, aut intima junctis amicitia addictas habebat aures; ſed preſſo apud ſe conſilio, auditis diligenter ſingulis, ea quæ æquitati ac utilitati, ſpectatis rerum & temporum rationibus, accomodata videbantur, amplecti & ſine mora executioni dare ſolitus. In virorum ad Sacras æque ac Profanas dignitates delectu magno judicio utebatur his certe, citra omne partium ſtudium, neminem, niſi egregie proba-

tum,

Digitized by Google

aures admovebat, ut adeo non mirum, ſub Mathia Corvino nonnullos e mediocri aut etiam infima ſorte, ad ſummos in utraque republica honores aſcendiſſe. Magiſtratuum vero fidem diligentiamve conſtante ſua vigilantia acuere noverat. Quare ſi quid in ſuis adminiſtris ſive in referendo fraudis; ſive in exequendo negligentiæ animadverterat, non dubitavit etiam maximos viros e ſublimi gradu dejectos caſtigare: quod ſuum complures in utraque Republica fuere experti. a) Peritiæ tantæ in Republica

MATHIAS

---

a) Petrum de Varda vel potius de Arva Colocenſem Archiepiſcopum Cancellarium & præcipuum ſuum adminiſtrum An. MCCCCLXXXIV. hac ſolum de cauſa in carcerem Arvenſis Arcis conjecit, quod in Tabulis induciarum cum Turcis, ubi cavebatur, ne ditionibus Hungaricis hoſtilitas inferretur; Moldaviam & Walachiam ceu membra S. Coronæ nominatim non expreſſerit, ac idcirco Turcæ liberum ſibi putarint, inde prædas agere, id quod reapſe etiam fecerunt. Literas hac de re Mathiæ ad Bajazethum; & hujus viciſſim ad Mathiam lege in Natalibus Archiepiſcopatus Colocienſis, editionis Budenſis Anni MDCCXLVI. pag. 114. Confirmi-

MATHIAS

ca adminiſtranda rebusque gerendis fuit, ut nunquam fere inceperit quantumvis arduum negotium, quod non ſuopte ac prompto conſilio conſtantiaque ad exitum quam feliciſſime deduxerit. Ingenio ſagax arcana omnia & dolos alieno pectore eliciendi artem egregie noverat, multas tempeſtates regnique amittendi pericula non tam vi, quam ingenio diſſipabat. Multum huc contulit rara Mathiæ Regis popularitas, nam ut alias auctoritatis ſuæ tenaciſſimus fuit, ita a curis reipublicæ liber cum ſuis velut unus de eorum numero agebat: apud hos, præſertim qui opibus & honoribus eminebant, hoſpitari, convivari, honeſtisque relaxationibus animum recreare in more habebat. *a*) Sequioris autem ſexus impri-

familiæ aut pœnæ, aut minæ adminiſtrorum exempla, paſſim in rebus geſtis Mathiæ occurrunt.

a) Mathiæ Regis indolem popularitatemque abunde colligere licet ex Bonfinio & Galeoto Martio Narnienſi *De Egregie, ſapienter, jocoſe dictis ac factis Regis Mathiæ ad Inclitum Ducem ejus Filium* inter Scriptores Rerum Hungaricarum Joannis Georgii Schvandtneri Tomo I.

Digitized by Google

MATHIAS

imprimis benevolentiam omni officii & civilitatis genere aucupatum ferunt, quo ſic conciliatis ſibi fœminarum animis, virorum quoque ſtudia voluntatesque lucraretur. His aliisque artibus cum præcipuos ex Hungaris præſertim Militiæ Duces ſuos feciſſet, quoniam a vulgo etiam diligebatur impenſius, pronum ei fuit quidquid vellet ab Hungaria impetrare. Quamvis autem minime Regio ortum duceret ſanguine, ac idcirco vicini Principes eum acerbius fugillarent; adeo tamen decorum majeſtatemque tueri dextre ſciebat, ut quos natalibus non poterat, magnificentia certe reliquos Principes anteiret, aulaque illius ab exteris ſummis quibusque viris magno numero frequentaretur, ingenti nominis ejus gloria. Illud certe ſingulare fuit in Mathia, quod exteris, præſertim, genere, dignitate, aut doctrina præſtantibus peculiarem humanitatem munificentiamque teſtatus ſit; unde fiebat, ut domum reduces univerſum orbem Mathiæ Regis encomiis impleverint. Si quid; certe nominis ſui celebritatem famamque aucupandi artem egregie callebat

MATHIAS Mathias. Ut adeo Sixtus IV. Pontifex cognitis ex Legato ſuo A) Mathiæ laudibus, in familiari cum Cardinalibus ſermone non dubitaverit, Mathiam *Regem Regum* appellare.

XXX.

A) Erat is Caſtellanus Epiſcopus, cujus litterarum Budæ datarum partem quin huc adſcribam, temperare mihi nequeo: „ Eſt Rex Mathias doctus & „ cum gravitate & majeſtate quadam dicendi; ut „ nihil dicat, quam id quod ſibi credendum videa„ tur: & profecto contemplatus eundem, ejus in„ genium, linguam, mores, aſtutia, audacia Prin„ cipes omnes, quos novi, nullo excepto antecel„ lit. Beatiſſime Pater, hic eſt Rex indefeſſi ani„ mi - - - *item* de Rege vero ſi rediero, tanta di„ cere oportebit, ut in Republica Chriſtiana nemi„ nem ſibi comparandum invenerit beatitudo veſtra, „ quem ſi ipſum amavit, coluit, fovit, id ſane ſan„ cte factum fuit - - . *item* Hunc Regem ſi Sancti„ tas veſtra videret, quam gravitatem, quam pru„ dentiam præſeferat, quam ſuavi & gravi elo„ quentia polleat; diceret hunc Italiæ & latinæ „ linguæ ſemper incubuiſſe. *Item in aliis litteris*: „ Vetuit Sereniſſimus Rex hodie, ut inſtitueram ab„ ire, utinam cras ſinat! pudet me diutius iſtic eſſe: „ quando ita mecum agit *Mathias*, ac ſi ex ejus „ ſanguine natus eſſem. „ Cetera lege in Annal. Reg. Hung. ad An. MCCCCLXXXIII.

Digitized by Google

XXX. Inſignes has Mathiæ dotes adjuvabat divinarum humanarumque rerum cognitio, quam Rex per otium lectitando ſibi comparaverat adeo amplam; ut cum de rebus eruditis diſceptatio eſſet, vel doctiſſimos viros argumentorum vi, ac pondere ſilere, ſententiamque mutare coegerit: ſingularis in eo erat memoria, cum in iis, quæ aliquando legerat, firmiter retinendis; tum in tot idiomatum peritia: omnia enim, præter Turcicum & Græcum in Europa uſitata expedite loquebatur. Litteras exterorum Principum legebat, ipſe & reſponſa dictabat. Litteris cum ipſe addictus eſſet, non mirum eſt, inſignem eum pariter litteratorum mœcenatem fuiſſe; ut adeo omnium eruditorum ora, calamosque ad laudes ſuas celebrandas provocarit. Hanc nempe habent in litteras munifici Principes mercedem, ut in Eruditorum ſcriptis æternum vivant. Neque hic ſtitit Mathias: quo popularibus ſuis ſcientiarum comparandarum opportunitatem præberet, fundatam olim Anno MCCCLXXXIX. a Sigismundo Budenſem Academiam, Joanne Vitézio

MATHIAS

In quem florem evectæ ſub eo ſcientiæ & artes?

Digitized by Google

MATHIAS. adjutore, An. MCCCCLXV. magnificentius inſtauravit A), evocatisque, quoniam domi tum adhuc non erant, ex Italia aliisque regionibus ſcientiarum Profeſſoribus, non multo poſt florentiſſimam effecit. Huic quod adhuc in Hungaria deſideratum fuit, Regio ſane ſumtu ac opere novam adjecit Bibliothecam, quam ut ocyus perfectam videret, innumeros Hebraicos & Græcos, ſacros æque ac profanos originarios Codices Conſtantinopoli multo ſane ære a Turcis redemtos, adferri curavit: præterea tricenos in variis Europæ Urbibus præſertim Florentiæ alebat ſcribas, qui latinos aliarumque linguarum Codices diligenter deſcriberent, Auguſtæque Bibliothecæ ſuæ inferrent. His adminiculis ita brevi ſuppellex litteraria crevit, ut quinquaginta voluminum manu exaratorum millia numerarentur. Ne quid autem ad Regii

operis

A) Academiam hanc abſterſa ſervitute Turcica reſtituit Georgius Széchény Strigonienſis Archiepiſcopus in Regem, Patriam ac Dei Eccleſiam ad prodigium ſane munificentiſſimus A. MDCLXXXVII.

Digitized by Google

operis magnificentiam deeſſet, Codices hi auro argento & biſſo divitibus thecis veſtiti fuere. Verbo denique ea erat Corvinianæ Bibliothecæ magnificentia; ut librorum dignitate, pretio & numero nulli eſſet in Europa ſecunda. A) Poſtquam autem typorum uſus inventus fuit in Germania B), Mathias primos inter celebrem Budæ erexit Typographiam, cujus fidem faciunt Chronica Hungariæ ibidem A. MCCCCLXXIII. per Andream Heſs Typis elegantibus excuſa. His rite conſtitutis, quoniam multos excellenti ingenio adoleſcentes etiam nobiles, ſumtuum defectu, Budenſem Academiam adire non poſſe videbat, dignum ſane Regia munificentia ſuſcepit conſilium, ejus amplitudinis ædes erigendi, quæ cum omnium

MATHIAS

A) Poſt Paulum Fabri in Comment. de Biblioth. Budenſi alioſque, utiliter leges Diſſert. de Regiæ Budenſis Biblioth. Mathiæ Corvini ortu, lapſu, interitu, reliquiis auctore F. X. S. O. S. A. Viennæ typis Schultzianis An. MDCCLXVI.

B) Typographiæ uſus repertus fertur a Joanne Guttenbergio Argentinæ A. MCCCCXL. alii malunt a Joanne Fauſto Moguntiæ A. MCCCCLII.

MATHIAS. omnium ſcientiarum & artium Profeſſores, tum vero plura Adoleſcentum millia facile caperent A); verum moles hæc immenſa, quia ultimis vitæ annis cæpta, ad exitum perduci nequivit: neque Uladislao, ſua fortaſſe culpa, egenti ſemper Principi tantum fuit animi; ut opus a deceſſore ſuo relictum abſolveret; ut cui vel ſtabilita jam tueri curæ non fuit. His litterarum adminiculis patriam ſuam excoluit Mathias: ejus præterea invitatione, non modo ſcientiarum, verum etiam artium Magiſtri magno numero tum Hungariam ſubiere. Horum opera nobiliſſima, & Romanis, Bonfinio Italo teſte, æmula Budæ ſurrexere palatia, in quibus pretium cum arte ex æquo decertabant. Certe ſinguli fere Antiſtites, & potentiores Illuſtrioresve Hungarorum familiæ Budæ partim in arce, partim in ſubjecta urbe proprias ædes hortosque habuere. B) Inter hæc autem principem tenuit

locum

A) Caſpar Heltai in Chronico Hungarico edit. Claudiop. An. MDLXXV. pag. 177.

B) Conſule Decretum Majus Uladislai Ann. MCCCCXCII.

Digitized by Google

locum nova Corvini Regis Aula, multorum linguis, & calamis celebrata. A) Regis exemplo incitati Proceres, deſertis humilioribus caſis, paſſim in villis, oppidisque ſuis ædes magnificentiores ſtruere cœperunt, ut adeo brevi Hungaria omnis aliam induta faciem, nihil ceteris Europæ Provinciis ſplendore cederet. En quantum unius Regis ingenium, induſtria, & exemplum ad inſtaurandam potuit Hungariam. MATHIAS

MCCCCXCII. Articulo CV. quo ædium harum poſſeſſores a ſolutione civitati Budenſi facienda eximuntur.

A) Novi Palatii Corviniani poſtibus inciſi fuere hi Bonfinii verſus:

Atria cum Statuis ductis ex ære, foresque
Corvini referunt Principis ingenium.
Mathiam partos tot poſt ex hoſte triumphos,
Virtus, æs, marmor, ſcripta perire vetant.

Ad Expugnatæ autem Auſtriæ memoriam hos verſus, uncialibus literis, Regiæ Budenſis muris inſcribi juſſit Mathias:

Mathias ego ſum, metuit me Cæſar uterque:
Declarat Vires Auſtria victa meas.

Digitized by Google

MATHIAS

In quem item res militaris?

XXXI. At enim præcipua Mathiæ gloria fuit a virtute bellica, toties & tot cum hoſtibus probata. Poſtquam plures de belli gerendi ratione commentarios evolverat, ac una uſu ipſo multa didicerat, ad eum florem apud ſuos militarem ſcientiam eduxit; ut ſi ejus inſtituta ſucceſſores fuiſſent imitati, nec Duces unquam militi, nec Ducibus miles defuiſſet. Primo cum Mahomete in Bosnia bello cum expertus eſſet, milites tumultuarie collectos, nec rite exercitatos oneri potius; quam uſui eſſe, continuo ſtatarias inſtituit legiones, A) ex publi-

A) Triplex militiæ genus Mathiæ Regis ætate apud Hungaros viguit. Primi fuere armigeri equis inſtructi: Tum Equites levis armaturæ, Huſzarones appellati: Denique pedites, alii clypeis armati: alii his carentes. His inæqualia fuere ſtipendia: cum ſubſidiarias Ferdinando Regi Neapolitano ſocero ſuo mittebat copias Mathias, pendenda ſingulis ſtipendia accurate definivit in Literis ad Cardinalem Agrienſem Neapoli agentem Zagrabia A. MCCCCLXXXI. die X. Martii datis: Voluit nempe, ut pro quadrante anni, Armigeris ſingulis XV. Aurei, gregariis peditibus non clypeatis VIII. aurei; clypeo vero & alio

MATHIAS

publico alendas ærario; his famigeratam illam *legionem* ab atris thoracibus, vel vultu per cœli injurias ſæpius toleratas obfuſcato, *nigram* appellatam adjecit, ad quam fortiſſimi quique ex reliquis cohortibus legi conſueverunt: hac ille; ubi difficilior fuit aggreſſio, opportune uti, hac fortiſſimas hoſtium acies loco movere noverat; cui idem erat vincere aut mori. Itaque pacis etiam tempore ad Ludovici M. imitationem numeroſus alebatur miles, ac ad bellum præparabatur. Regis exemplo potentiores Regni, qui prius nonniſi bello ingruente, gentes ſub ſigna cogere ſoliti erant, ipſi pariter cohortes ſuas armis bellicoque apparatu inſtructas diligenter domi exercebant: ut, cum opus erat, in Regis caſtra continuo adduci poſſent. Certe ejus ætate adeo ſcientia militaris floruit; ut pe-

alio armorum graviorum genere inſtructis, ac idcirco bajulo indigentibus XVI. aurei; Huſzaronibus X. floreni auri numerarentur. Ex quo quanta donu stipendia fuerint, conjecturam facere licet. In his literis Mathias præterea ſuorum pugnandi methodum, Machinarumque militarium uſum eleganter deſcribit.

Digitized by Google

MATHIAS. pendia diſtribuit. Qui præclaram bello navarunt operam, nobilitate, opibus, & honoribus exculti ſunt. In exploratores plane profuſus hoſtium conſilia tempeſtive edocebatur, ac ſapienter prævertebat. In bello gerendo qua celeritate, & fortuna uteretur, teſtis eſt Moravia, Sileſia, Luſatia, Auſtria, Styria, Carinthia, Carniolia, capta, ejectus e Bosnia Mahometes, ex Hungaria, & Sileſia, Poloni, & plures aliæ victoriæ. Optandum quidem erat, ut tantus Heros cogitationes, & vires ſuas ad eripiendos e Turcarum manibus Hungarici Regni fines convertiſſet, id quod eo facilius fieri poterat, quo major erat apud illos Corviniani nominis terror, & trepidatio. Certe non parum ditionum ob Regis abſentiam ab Hungaria avulſum fuit: preterea pleræque Dalmatiæ maritimæ Urbes, ſi Raguſam demas, quod jam inde a Ludovici M. exceſſu turbis inteſtinis agitaretur Hungaria, quietis ſtudio ad Venetæ Reipublicæ Dominium, aut ſocietatem ſeceſſere, qua de re Mathias acerbe Sixto Pontifici conqueſtus fuit, miſſo ad

eum

MATHIAS

eum ſcripto, in quo, quantum ſive ſe imperante, alibique occupato, ſive ſub deceſſoribus Regibus Veneti a Dalmatiæ Hungaricæ limitibus contra fas avulſerint, oſtendebat. Eo nempe Mathiam gloriæ, & vindictæ ſtudium egit; ut aliena potius in Bohemia, & Auſtria, quanquam irritatus invaderet, quam ſua tueretur. Ceterum ne quid ſilentio prætereamus, immenſi illi in numeroſum militem, in bella continua, in Aulæ magnificentiam, in ſummi pretii res comparandas, in luxum aliaque profuſi ſumtus non modo ærarium publicum, verum etiam privatorum facultates abſumſere, certe tanta apud Nobilitatem Hungaricam enata fuit inopia, ut ad hanc ſublevandam jam in Comitiis A. MCCCC. LXXVIII. Budæ celebratis conſtitutum ſit, ut per quinque conſequentes annos ab habendis per Comitatus generalibus Congregationibus abſtineatur, a) præter imminu-

ta

a) Juvat hoc Decreti partem adſcribere: „Quia „Regnum hoc ſerenitatis veſtræ ſuper alia gravamina

MATHIAS.

ta communia toti Regno vectigalia tam a ſeſſionibus; quam a capite viritim antea exigi ſolita: ac illa quidem ad unum florenum; hæc ad duos denarios ſunt reſtricta.

Ab obitu Regis quæ rerum facies?

XXXII. Mox a tanti, quantus Mathias jure merito cenſendus eſt, Regis obitu res Hungariæ turbari cepere, nec quidquam eorum, quæ ille poſt ſe facienda conſtituerat, effectui datum fuit. A peractis in principe Urbis Viennenſis D. Stephani æde, ut

„ mina propter oppreſſiones per exercituantes equites & pedites ad ultimam deſolutionem & exacerbationem magnam in tantum devenit, quod jam pauperes incolæ Regni hujus vix vitæ neceſſaria habere poſſint, humillimis & devotis precibus ſupplicamus Majeſtati veſtræ, ut eadem conſideratis noſtris obſequioſis fidelitatibus, & deſolationibus Regni ſui, ut idem aliqualiter reſpiret, & vires ſuas priſtinas recuperet: dignetur talem genere modum *&cet.* Item quod infra iſtos præſcriptos quinque annos per omnes Comitatus hujus Regni congregationes Generales ſeu Judicia univerſalia in Comitatibus fieri ſolita non celebrentur propter inopiam ipſius Regni. „ Vide Codicem Juris Patrii.

Digitized by Google

[redacted] MATHIAS.

ut meminimus, exequiis, Proceribus, qui frequentes illic aderant, placuit extemplo conventum haberi: ubi caveretur, ne quid interregni tempore detrimenti caperet Respublica: prorogata ante omnia Stephano de Zápolya Viennenſis Urbis præfectura; a) ne quis dolo pateret locus, Sigillum Regis medio in conſeſſu non ſine adſtantium motu confractum fuit. Verum omnium maxime Patrum affecit animos, cum Joannem Corvinum Ducem Beatricis Reginæ pedibus affuſum, gratiam, opemque ejus implorantem aſpexere: continuo ipſi etiam in genua provoluti, ob tanti, tamque inſigniter de Patria meriti Parentis memoriam, pupillum Ducem majorem in modum Reginæ commendarunt, atque ut ſerio

a) Erat hic Joannis de Zápolya Regis Hungariæ Parens, qui a morte Mathiæ magnam auri ſummam in ſuos uſus derivaſſe fertur, at mihi id minus veriſimile videtur; certius autem illud, a Beatrice Regina multum æris, maximique pretii munera accepiſſe, ut ejus molitionibus in evehendo ad Regnum Uladislao Bohemo faveret, quod & fideliter perfecit.

Digitized by Google

MATHIAS. ſerio id agi indicarent, unanimi conſenſu in Beatricis Reginæ, & Joannis Corvini Ducis manus ſponte jurarunt, ſe fidem, quam demortuo Regi præſtiterant, utrique ſancte ſervaturos ad novi usque Regis electionem. Ea Procerum humanitate commota Beatrix, ſupplicantem Joannem Ducem blande oſculata, filii loco ſe porro habituram, ejusque negotia pro viribus curaturam recepit. Hunc in modum Regni adminiſtrationem conſecuta Beatrix, Joanni Duci theſaurum Regis, univerſamque ſupellectilem quater centenis aureorum millibus æſtimatam credidit, ac una ſubinde Budam conceſſerunt, habendo Albæ Regiæ funeri, de quo ſuperius egimus, neceſſaria curaturi. Faventia hæc Corvino Duci fuere initia, certamque ſpondebant in Regno ſucceſſionem; verum mox Regina, quo in privignum eſſet ſtudio, palam fecit, cum profuſis largitionibus & pollicitationibus potentiores Regni Uladislao Bohemiæ Regi, quem perdite deperibat, conciliare ſtuduit: ac Procerum etiam Hungarorum in Corvinum Ducem animi refrixerunt:

Digitized by Google

xerunt: ſive ob turpem illius naſcendi conditionem, ſive ob exterorum candidatorum, qui paulo poſt largitionibus certabant, inſignem præcellentiam.

MATHIAS

Qui in Regno æmuli?

XXXIII. Terminatis funeris exequiis; Urbanus Doczi de Nagy Luche Epiſcopus Agrienſis, qui Emerico de Zápolya Regni Hungariæ Palatino e vivis ſublato, vicaria interim poteſtate eam dignitatem adminiſtrabat, Generalem Regni conventum ad Idus Majas ejusdem An. MCCCCXC. Peſtinum indixit. Ut eo confluxere Patres, non levis eos inceſſit cura, ob inopinatum plurium Legatorum adventum: aderant enim a Maximiliano Romanorum Rege Friderici filio; ab Alberto Caſimiri Poloniæ Regis filio, ab Uladislao Rege Bohemiæ, ac a Ferdinando denique Neapolitano Beatricis Parente; quæ res etiam Corvini partes graviter afflixit. Ad omnem factionibus viam præſtruendam placuit, priusquam de optando Rege ageretur, ſingulorum candidatorum legatos ſeorſim audire. Primi omnium fuere Joannis Corvini Ducis:

MATHIAS

Thomas Bakatſius ab Erdöd Jauinenſium, & Joannes Varadinenſium Antiſtites. Hi porro ubi merita Patris, & inſignes Joannis Ducis animi, corporiſque dotes expoſuiſſent, orabant; ut hic præ exteris eligeretur. Maximiliani Oratores pacta Fridericum inter, & Mathiam inita commemorabant, quibus ſi Mathias citra legitimum hæredem ſecederet, Regnum ad Auſtriacos devolvi cautum fuit. Poloni neceſſitudinem ſanguinis, veteremque Polonorum cum Hungaris conjunctionem pro Alberto adferebant, idque Caſimiri Regis nomine, qui hunc mallebat in Hungaria regnare præ Uladislao Primogenito jam Bohemiæ Rege. Neapolitani Beatricis rationem habendam ſuaſere, opemque terra & mari adverſus quosvis hoſtes offerebant. Poſtremi Bohemi id utiliſſimum fore proponebant, ſi Uladislao electo Rege, potentiſſima duo Hungariæ & Bohemiæ Regna conjungerentur.

Quæ Joannis Corvini Ducis ſors?

XXXIV. Tot Oratorum ſermonibus, ac etiam largitionibus non mirum eſt Pro-

cerum.

MATHIAS

cetum quoque mentes, quo ſeu privata ſive publica eos impellebant commoda, varias in partes fuiſſe diſtractas. Ac Joannem quidem Corvinum Ducem magna clientum pars deſtituit ex iis etiam, qui fidem ſuam de hoc olim Mathiæ obligaverant, maximiſque idcirco ab eo muneribus, & dignitatibus aucti fuere. Horum e numero fuit Urbanus Agrienſis Epiſc. Stephanus de Zápolya Comes Scepuſienſis, Urbis Viennenſis Præfectus, Stephanus Bathorius Vayvoda Tranſilvanus, ac ſubinde Joannes Varadinenſis Antiſtes. Plurimum nihilominus ad eum ſolio removendum momenti adſerebat Beatrix, quæ jam tum animos popularium ſermonibus privatis, & largitionibus conciliabat Uladislao Bohemo, ſpe nuptiarum, quas ille minus caute tum promiſerat, incitata. Habito igitur inter ſe conſilio Proceres, qui aderant, communi pene ſententia Joanni Corvino, quod illegitimo thoro eſſet progenitus, Regni ſpem diſerte ademerunt; id tamen memoriæ Parentis daturi, ut Bosniam, Croatiam & Sclavoniam vicaria

Digitized by Google

[redacted]
MATHIAS poteſtate gubernaret, ubi primum regias arces, quas ſuo tenebat præſidio, reſtituiſſet in Hungaria. Et vero ea tum fuit moderatione Dux Joannes; ut ad præcavenda, quæ ex ejus tot inter ambientes electione, enaſci poſſent bella, Patrum Patriæ voluntati haud gravate ſubſcriberet. Verum non multo poſt a Laurentio de Uilak Duce Sirmienſi, Sigismundo Quinque-Eccleſiarum Antiſtite, aliisque ad jus ſuum perſequendum incitatus arma corripuit, quæ tamen non tam Procerum copiis, quam precibus victus rurſum poſuit, ut mox dicturi ſumus. Atque ex eo tempore non modo fidelem ſe Uladislao præbuit, verum etiam utilem adverſum Turcas navavit operam ingenti nominis ſui gloria.

DE DREPT CLUJ

GE-

Digitized by Google

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI II.

Sigismundus Rex Hung. Imp. Rom. ✠ 7437.
Con. a Maria Ludovici M. Regis Hung. filia ✠ 1392.
b Barbara Cilejenſis. ✠ 1451.

Ex b Eliſabetha Reg. Hung. ✠ 1443.
Albertus Auſtriacus Rex Hung. Imp. ✠ 1439.

Anna ✠ 1462.
Wilhelmus Miſſnenſis.

Eliſabetha 1505.
Caſimirus IV. Rex Poloniæ.

Ladislaus V. Poſthumus Rex Hung. Boh. ✠ 1457.
Sponſa Magdalena Carol. VII. Reg. Gall. filia.

Wladislaus II. Rex Hung. & Bohem. ✠ 1516.
Con. Anna Foix filia Gaſtonis Candalæ Comitis ✠ 1506.

& reliqui fratres & ſorores.

Ludovicus II. Rex Hung. ad Mohacs cæſus 1526.
Con. Maria Auſtriaca Philip. Caſtel. Reg. filia ✠ 1558.

Anna ✠ 1547.
Ferdinandus I. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1565.

ULADISLAUS II.
REX XXXVI.
A. C. MCCCCXC.

ULADISLAUS II.

Qua via ſolium indeptus?

I.

SOpita aliquantum Corviniana factione, tot inter candidatos augeri potius in dies, quam minui videbantur partium ſtudia, bellumque domi, & foris erupturum apparebat; niſi ocius Rex legeretur. Urbanus Agrienſis Antiſtes tanto occurſurus diſcrimini, convocatis Peſtini ad D. Virginis Baſilicam Patribus, patrio idiomate ſermonem habuit, ubi poſitis ob oculos certiſſimis damnis, quæ e diſſidiis promanatura eſſent, gravi omnes metu complevit; hancque unam pacis reſtare viam oſtendit, ſi communi conſpiratione Regem eligerent. Valuit ſummi viri & ſincero patriæ juvandæ ſtudio incenſi oratio, ut continuo omnes, qui aderant, uno conſenſu Regem ſe creaturos jurejurando pollicerentur. Ea Procerum conſpiratione lætus Urbanus, curas omnes intendit ad Laurentium de Uilak

Sir-

Sirmienſem Ducem, & Sigismundum Quinque-Eccleſiarum Epiſcopum in eandem adducendos ſententiam, qui pene ſoli res Joannis Corvini Ducis tuebantur. Habitis ſemel, iterum, ac tertio colloquiis, id demum ab eis impetravit, ut Regis optandi negotium omne Stephani de Zápolya arbitrio permitteretur, ac quidquid ille de hoc pronunciaſſet, ratum haberent. Exiſtimabant nempe, Stephanum tot beneficiis a Mathia Rege ornatum præcipuam ejus filii Joannis Ducis habiturum rationem: delectus continuo his ipſis probantibus Joannes Varadinenſis Epiſcopus Corvinianæ factioni hactenus addictus, qui Procerum mandata ad Stephanum de Zápolya Viennam perferret. Ille examinatis diligenter temporum rationibus, paucis reſpondit: idmodi Regem quærendum, quo electo, aut bellum omne ceſſaret, aut certe æmulorum numerus minueretur, talem autem ſibi videri Uladislaum Bohemiæ Regem, cujus nominationi minime obſtaturus videbatur Albertus frater, neque Fridericus Cæſar multum obluctaturus: ac ſi quid belli

ULADISLAUS II.

 etiam

ULADI- etiam ea propter molirentur, Regni Bohe-
SLAUS II. miæ vires Hungaricis additas cuivis hoſti re-
pellendo pares fore. Denique illud etiam commodum Hungariæ acceſſurum videbatur, quod ab Uladislao Rege facile impetraturi eſſent Regni Ordines, ut Moraviam Luſatiam, Sileſiam a Mathia Rege poſſeſſam Sacræ Coronæ Hungaricæ æternum adſcribi pateretur, id quod quovis alio ex æmulis electo citra ſanguinis profuſionem ſperari non poterat. Quod ſi autem Joannem Corvinum Ducem eligerent, æmulos omnes undique in Hungariam irrupturos, irreparabili ditionum damno. Conſilium ſane quam prudens, ſi tempus id ſpectes; perniciosum tamen poſtea toti Regno ob Uladislai ignaviam: quod ubi Peſtinum retulit Joannes Varadinenſis, Patribusque omnibus probatum fuit, Urbanus Agrienſis convocata pro D. Georgii templo frequentiſſima concione, cum rerum huc usque geſtarum cauſas explicuiſſet, coram exterorum Principum Legatis & conferta Hungarorum multitudine, quod bonum felix fauſtumque toti Hungariæ foret, Uladislaum

ex

ex Ordinum Regni conſenſu Hungariæ Regem Idibus Julii ejusdem anni pronunciavit. Nec mora *Legio nigra* hactenus Joanni Corvino addicta ceteræque copiæ nomine Regni auctoratæ ſunt, distributis in eas per Varadinenſem Epiſcopum a) XL. aureorum millibus: tum vero delecti ſummi in utraque Republica viri, ut: Joannes Varadinenſis, Thomas Bakats Jaurin. Joannes Chanadienſ. Stephanus Sirmienſis, Epiſcopi: ex Proceribus Stephanus de Báthor, Stephanus de Zápolya, Sigismundus Comes S. Georgii, Bertholdus Drágfi, ares Ladislai: de Orſzág, de Rozgony &c. ULADISLAUS II.

Bb 5 de

a) Pecuniam hanc de ſuo interim numeravit Varadinenſis Præſul, patriæ caritate ductus, quod publicum Regni ærarium vacuum eſſet; a morte ſcilicet Mathiæ, Vidua Beatrix quidquid pecuniæ & Theſauri fuit, ſuum fecerat. Quin imo etiam multorum privatorum, quos forte ſibi adverſaturos putabat, bona arcesque occupavit: exemplo Reginæ & impunitatis ſpe animati complures e potentioribus e vicinorum rapinis & ſpoliis res ſuas auxere. Inſpice Decretum Majus Uladislai A. MCCCCXCII. Articul. I. XIV. XVI. CVII.

ULADISLAUS II.

de Loſoncz, qui Uladislaum de electione ſua per celeres edoctum nuncios, in limitibus Regni ſalutatum Budam deducerent. Beatrix interim votorum compos ſummis incedebat lætitiis, Strigoniique ſubſiſtens adventum Uladislai, ſui, ut falſo rebatur, ſponſi futuri opperiebatur.

Quibus conditionibus?

II. Nec diu Uladislaus tanti Regni potiundi ſpe iter ſuum diſtulit, paucisque ab Hungarorum adventu diebus cum X. Equitum, & V. peditum millibus ad Hungariæ fines pervenit. Poſtquam oratoribus copia eum alloquendi data, Joannes Varadinenſis Epiſcopus Legatorum Princeps appoſita oratione Uladislaum ſalutavit; at una, quemadmodum in mandatis habuit, poſtulavit, ut conditionibus ex ſenatus conſulto in certa capita diviſis, ſibique expoſitis juratus ſubſcriberet. Earum præcipuæ fuere: ut Prælatorum, Baronum, Nobiliumque Regni libertas juxta vetera Regum Hungariæ diplomata ſalva maneret. Ne inſolita tributa, ut Mathias fecerat, exigerentur. Magiſtratus Regni ſacros æque,

ac

Digitized by Google

ne profanis externis conferri nefas eſſet. Moravia, Sileſia, Luſatia, Mathiæ virtute occupata, juxta pacta in Olomucenſi conventu, A) ad S. Coronæ Hungaricæ ditionem ſpectarent, neve eas alienari unquam ſineret: eadem Auſtriæ bello captæ ratio haberetur; neque foedus ullum cum Cæſare iniri poſſit, citra Ordinum Regni ſcitum. Sedem Regiam conſtanter in Hungaria figeret. Hæc aliaque ubi ille libens volensque ſervaturum ſe jurejurando ſignaſſet, B) Budam deductus, ingenti omnium Ordinum lætitia acceptus, ſpem optimi de ſe Principis omnium mentibus inſpiravit. ULADISLAUS II.

III. Ne

A) His quidem pactis id ſolum cavebatur ut a morte Mathiæ Regis Uladislaus Moraviam, Sileſiam, Luſatiam non niſi depoſitis XL. aureorum millibus recuperaret Coronæ Bohemicæ uniendas.

B) Dedit Uladislaus illico Diploma, quod hæc omnia complectitur; ſignavitque illud in caſtris ad Farkashidam die XXIX. Julii A. MCCCCXC. Vide Codicem Juris Patrii.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

Quando coronatus?

III. Ne continuo Albam Regiam ad Coronationem peragendam iretur, id in mora fuit, quod Viſſegradum cum ſacris Regni clenodiis Joannes Corvinus in poteſtate habebat. Actum itaque cum eo, ejusque ſociis: ac hi quidem paulo difficiliores fuere; Joannes autem Corvinus, quod ad id loci adductis Uladislai rebus, nullam prudentem Regni obtinendi ſpem cerneret; proniores arbitris aures præbuit, maluitque inita honeſtis conditionibus cum novo Rege concordia dignitatem ſuam retinere; quam inutili bello ſe in diſcrimen honorum, opumque amittendarum conjicere. Itaque coronam cum arce Viſſegradenſi, ceteraque præſidia regiis alias juribus obnoxia, ultro Uladislai hominibus conſignavit, eaque promptitudine id conſecutus fuit, ut non modo dignitates & ditiones omnes a Mathia illi traditas confirmaret Uladislaus, verum etiam omnem ultra Dravum, Illyrici Regionem ea lege conferret, ut ſi absque hærede excederet, ad Sacræ Coronæ jurisdictionem devol-

ſolveretur. A) Recepta corona nihil cunctatus Uladislaus, Albam Regiam in frequentiſſimo Antiſtitum, Procerumque Comitatu profectus, XI. Calendas Octobris A. MCCCCXC. per Osvaldum Zagrabienſem Epiſcopum Præſulum omnium antiquiſſimum inauguratus fuit, quod Strigonienſis Antiſtes Hippolitus Eſtenſis, poſtea S. R. Eccleſiæ Cardinalis, cum adhuc per ætatem ſacris initiatus non eſſet, ac incertum qua de cauſa Strigonii cum Beatrice Regina remanſiſſet. Ferunt nullam faci-

ULADISLAUS II.

A) A ſolio remotus Joannes Dux, ſponſæ quoque Blancæ Mediolanenſis jacturam fecit, quæ Sponſum non Regem averſata, ſponſalium vinculo ſe ſolvi impetravit ab Alexandro VI. Papa An. MCCCC. XCIII. ac poſtea Maximiliani I. Imperatoris IIda. conjux evaſit. Joannes vero ducta Beatrice de Frangepan, Chriſtophorum, & Eliſabetham ſuſcepit in tenera ætate exſtinctos. Ipſe vero anno ætatis XXXV. magno ſui relicto deſiderio obiit A. MDIV. Lepoglaviæ in Sclavonia conditus. Ejus Epitaphium ex Rátkay vide in Annal. Reg. ad hunc annum. Hoc autem vivens uſus fuit titulo: *Joannes Corvinus Liptoviæ Dux, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus.*

ULADISLAUS. II.

facile; inaugurationem tanta pompa, & ſplendore fuiſſe peractam, quod præter nigram legionem, ſtatariamque militem, Antiſtites, Proceresque cunctas prope, quas ſub ſignis ſuis cenſebant, copias eo adduxiſſent, multis de hoſte partis triumphis inſignes. Eminebant tamen has inter multo divites auro cohortes, quas Joannes Corvinus ſuis coactas ſtipendiis eo contraxerat, plurimumque ad ejus ſolennitatis magnificentiam momenti attuliſſe fertur. a) Tam florentem ex omnibus Provinciis exercitum ſi, ut ſuadebant multi, recta in Maximilianum duxiſſet Uladiſlaus, poterat ſane graviſſimo bello liberari Hungaria, atque pax etiam, & utilioribus confieri conditionibus; ſed Uladiſlaus peracta coronatione Budam reverſus, continuo ſe otio cupiebat dedere.

Quomodo ſopitæ lites cum Alberto fratre?

IV. Verum hunc quietis amorem brevi excuſſerunt gemina bella; alterum cum Maxi-

a) Nicol. Iſtvanſi Hiſt. Lib. I.

Digitized by Google

ULADI-SLAUS II.

Maximiliano Romanorum Rege; cum Alberto fratre alterum. Hic quod eadem Matre Eliſabetha Ladislai Poſthumi ſorore editus foret, ægre ferebat fratrem ſuum Uladislaum duplici corona Hungariæ, & Bohemiæ fuiſſe potitum; hac itaque contentum eſſe debere, illam ſibi potius convenire putabat. Maſculum adoleſcentis Poloni animum accenderant e comitiis in Poloniam delati nuncii, qui nonnullorum Procerum ſuffragiis eum Regno deſtinari ſignificabant. Itaque haud contemnendis a Caſimiro Patre inſtructus copiis tanta feſtinatione iter in Hungariam proſecutus fuit, ut ante Uladislai coronationem ad Peſtinum conſtiterit. Tentata diu fruſtra cum eo pax fuit: donec Rex ipſe data fide eo profectus, promiſſa ei poſt obitum Caſimiri Patris Poloniæ Corona, adeo placatum reddidit, ut converſis repente ſignis domum feſtinarit. At enim forte, quod exigua Polonici ſceptri obtinendi ſpes appareret, novis rurſum actus intemperiis cum XII. mille viris anno inſequente in Hungariam irrupit, verum minus ex ſententia

ceſſit

ULADISLAUS II. ceſſit expeditio: Stephanus enim de Zapolya cum XVIII. millium copiis Caſſoviam miſſus, adeo levioribus præliis Polonos fregerat, ut Albertus Eperieſſinum ſe recipere cogeretur. Obſeſſus illic cum eſſet ab Hungaris, venit in caſtra Uladiſlaus: qui ſincero in fratrem amore ductus, maluit amice quam bello lites componere: neque ille oblata ſibi domum redeundi libertate obluctatus fuit: quin omni etiam, quod ſibi in Hungariam habere videbatur, juri ſolenniter renunciavit, fratremque Uladislaum ab ſe pro legitimo Hungariæ Rege habendum declaravit. Uladislaus viciſſim ut præciſam Regni ſpem ei leniret, præter terna aureorum millia, ampliſſimas in Sileſia ditiones cum caſtris ceſſit. A) Stabilitam tum concordiam paulo amplius roboravit illud, quod demortuo Caſimiro Patre Poloniæ Rege, Uladislaus Primogenitus Regni Polonici jura in Albertum,

A) Tabulas fœderis ex Somerſpergio recitatas habes in Annal. Reg. Hung. ad A. MCCCCXCI.

Digitized by Google

tum, hocque ſubinde e vivis ſublato, in Sigismundum tranſire ultro ſiverit.

ULADISLAUS II.

V. Gravior multo fuit, quam Maximilianus in Uladislaum conciverat, tempeſtas. Ubi primum Regno Hungarico ſe excluſum ex Oratoribus intellexerat, collecto ex Noricis & Vindelicis exercitu, ad Auſtriam e manibus Hungarorum eripiendam tetendit. Quo tempore cum loca omnia ſponte ad eum redire vidiſſet Stephanus Scepuſienſis, atque Viennenſes etiam cives clam id parare, relicto Aulæ Regiæ CCCC. militum præſidio, convaſatis rebus, cum Hedvige e Teſchinenſium Ducum familia conjuge, & liberis non ſine proditionis, aut ignaviæ ſuſpicione domum rediit. Ejus diſceſſu cognito, Maximilianus nullo negotio in urbem admiſſus, admotis bellicis machinis Aulæ muros quatere cepit, quibus proſtratis, aggreſſione imperata, ſemel ac iterum non ſine magna utrinque cæde generoſo & ipſe vulnere ſaucius receſſit, tertiam totis viribus tentaturus. Verum præſidiarii, quod omnes

Cur geſtum cum Maximiliano bellum?

ULADISLAUS II. prope vulnerati eſſent, nec quidquam ex Hungaria ſubſidii appareret, ea non expectata, honeſtis conditionibus deditionem fecere. Conſimili ratione Neoſtadium, aliaque munita loca auxiliis Hungarorum deſtituta in Maximiliani venere poteſtatem, ut adeo omni pene Auſtria tam copioſo popularium rigata ſanguine, per Regis, & Adminiſtrorum ejus oſcitantiam, breviſſimo temporis ſpatio ejicerentur Hungari. Tanto ſucceſſu lætus Maximilianus ad paulo majora eodem impetu perficienda adjecit animum. Rejectis cum ſtomacho, quos Uladislaus pacis cauſa miſerat, oratoribus, Hungariam ingreſſus, Albam mœnibus vetuſtate collapſis pene nudatam paulo poſt Coronationem nullo negotio occupavit, militique victori non ſine multa, promiſcuaque cæde diripiendam dedit; ſacris tamen Eccleſiæ vaſis, ſuppellectilique graviſſimis pœnis militum libidini ſubducta; niſi quod crucem auream, quæ ſuorum olim majorum Auſtriæ Principum fuit, ſecum abſtulerit. Itum inde Budam ſub exitum An. MCCCCXC. quam urbem pariter,

quod

quod longa pace neglecta eſſet, hiarentque paſſim muri, haud dubie in poteſtatem redacturus erat, niſi coorta inter milites, ob negatum diu ſtipendium, ſeditione, redeundum ſibi potius tempeſtive, quam cum rebelli milite bellum proſequendum putaviſſet. Quo tempore eluxit inſignis Sigismundi Quinque-Eccleſiarum Epiſcopi in Uladislaum Regem ſuum, & Patriam fides, a quo cum Maximilianus oblato opulentiſſimo in Germania Salisburgenſi Archiepiſcopatu, LX. aureorum millia mutua petiiſſet, quibus ſtipendia militi perſolveret; ille fidei potius, quam divitiarum amore ductus, negata pecunia, periculum, quod regno imminebat, pulcherrimo ad poſteros exemplo diſſipavit.

ULADISLAUS II.

VI. Eo diſceſſu Maximiliani ſpatium datum Hungaris, bellum inſtaurandi: commodum etiam per idem tempus pax, quam diximus, cum Alberto Regis fratre ad Caſſoviam confecta fuit. Igitur contractis celeriter adverſus Maximilianum copiis, brevi tempore XL. armatorum millia in caſtra

Qua occaſione pax procurata?

Digitized by Google

ULADISLAUS II. Budam confluxere. Imperata continuo profectione, Albam Regiam obſidere placuit, in qua oppugnanda cum nil diligentiæ artisve militaris omitterent Duces Hungari, præſidiarii aſſultum veriti, liberum eum rebus, impedimentisque in Auſtriam diſceſſum pacti, urbem legitimo Domino reddidere An. MCCCCXCI. Eodem modo Veſprimium, Caſtrum ferreum, ceteraque Hungariæ loca recuperata, e Croatia etiam Joannis Corvini Ducis virtute ejecti penitus Germani, quin & Proceres nonnulli, qui ad Maximiliani partes paulo prius ſeceſſerant edomiti. Sopitum hac ratione bellum ne majore cum jactura, quia Turci pariter irrupturi ferebantur, recrudeſceret, Uladislaus Fridericum Cæſarem, & Maximilianum de pace interpellavit. Neuter, quod firmata Uladislao Regni poſſeſſione vix quidquam utiliter tentari poſſe videret, a quiete abhorruit. Itaque utriusque partis conſenſione Poſonium delectum fuit, ubi miſſi utrinque arbitri de conditionibus tranſigerent. Uladislaus Oratoribus ſuis Thomam Bakats ab Erdőd Jau-

rinenſ.

Digitized by Google

rinenſ. Epiſcopum Regni Cancellarium, & Stephanum de Bathor curiæ Regiæ Judicem & Vayvodam Tranſilvaniæ præfecit, eisdemque XXII. Auguſti An. MCCCCXCI. plenam fœderis conficiendi tribuit poteſtatem.

ULADISLAUS II.

Quibus conditionibus?

VII. Poſtquam utriusque partis Oratores Poſonium convenere, diu ſatis de fœderis conditionibus diſceptatum fuit. Cæſarei veteres Fridericum inter, & Mathiam Regem A. MCCCCLXIII. occaſione reſtitutionis ſacræ Coronæ, initos tractatus in ſolidum reponi volebant; negabant Hungari, quia vi extortæ videbantur, ac una per ſubſequens bellum pacemque Ann. MCCCCLXXVII. confectam exoleviſſe jam contendebant. Vicere tamen Cæſarei, prioraque illa pacta paulo luculentius denuo explicata, firmiusque roborata ſunt. Præcipua conditionum capita fuere: Hungari quidquid adhuc in Auſtria, Styria, Carinthia, Carniolia Mathiæ armis acquiſitum tenebant, Maximiliano redderent: multa item oppida in Hungaria; donec XL. aureorum

Digitized by Google

ULADI-SLAUS II. millia Cæſari perſolverentur. Ad ſumtus autem in bellum factos compenſandos, Rex una cum Ordinibus Regni caveret, ſe C. millia florenorum A) intra biennium Cæſari numeraturum. Regnum Hungariæ legitime Uladislaus, & ſui hæredes maſculi poſſideant: quibus demortuis, ad Maximilianum, ejusve poſteros ſine cunctatione devolvatur, ita tamen, *ut Hungaris liberum ſit; quem vellent ex eis legere, quique in ipſo Regni aditu fidem ſuam obliget ad jura, & conſuetudines Regni antiquas & approbatas, Ordinumque omnium præ-*

A) Animadvertendum hic ad rem monetariam ejus ævi cognoſcendam, nominari in hoc diplomate. *Florenos Hungaricales in auro, id eſt, Ducatos, computando quatuor Rhenenſes, aut tantum monetæ currentis pro tribus florenis Hungaricalibus;* Itaque hac ætate, ac etiam Mathiæ Corvini temporibus Florenus Hungaricalis idem erat ac Ducatus ſive aureus = 1. Rhenenſi & ⅓ quod ſi igitur 1. Rhenenſis conſtabat 20 groſſis; Florenus Hungaricalis æquabatur 26 groſſis & ⅔. Porro florenus Hungaricalis continebat centum Denarios Hungaricos: ut patet vel ex Decreto Mathiæ An. MCCCCLXXVIII.

prærogativas obſervandas, ea omnino ratione, qua deceſſores Reges id facere conſueverunt. A) Ne autem hæc ſtirpis Auſtriacæ in Hungariam ſucceſſio quocunque tempore e memoria hominum elabi poſſet, ſtatutum: ut non modo Uladislaus, Optimatesque omnes in proximo Regni conventu id ratum habeant ſolenni juramento, & chirographo; verum etiam ſucceſſores Uladislai hæredes inaugurationis tempore, atque Prælati & Barones, dum novum inituri ſunt magiſtratum, ad eadem hæc ſucceſſionis Auſtriacæ jura ſancte cuſtodienda ſemet obligent. Hæc aliaque die VII. Novembris A. MCCCCXCI. Po-

ULADISLAUS II.

A) Atque hoc erat Auguſtæ Domus Auſtriacæ in Hungariam Succeſſionis hæreditariæ initium, quo quidem Auſtriacis Principibus univerſim ejus ſuccedendi aſſertum fuit; relicta nihilominus Hungariæ ordinibus ex eis, quem vellent, nullo ſervato primogenituræ ordine, eligendi libertate, qui ſuccedendi modus poſtea in periodo Auſtriaca obtinuit usque ad An. MDCLXXXVII. quo hæreditaria ſucceſſio ad mares primogenitos certis conditionibus reſtricta fuit, ut ſuo loco dicemus.

ULADISLAUS II. ſonii Oratorum manibus, ſigilliſque munita ſunt. Soluto Conventu Oratores Hungari Budam diſceſſere: ubi dum præſentibus Regni Ordinibus fœderis conditiones recitarentur, tantus repente in Oratores ea propter tumultus fuit exortus; ut niſi Rex in medium progreſſus ſua auctoritate cohibuiſſet, vix a cæde legatis inferenda ſibi temperaturi viderentur. A) Ratas tamen eas habuere VII. Epiſcopi, cum Dominico Albenſi Præpoſito, totidemque e Regni Baronibus: quibus ſubinde nonnulli abſentes ut: Ladislaus de Kaniſa Illyrici Banus, Martinus Czobor de Czobor Szent-Mihály Belgradenſis caſtri Banus, Bartholomæus Dràghſi de Beltheuk Tranſilvaniæ Vayvoda & Siculorum Comes, ejusdemque Provinciæ civitates miſſis litteris acceſſerunt. Uladislaus autem adeo omnia iis conditionibus comprehenſa rata habuit, ut etiam X. aureorum millium onus, cui Fridericus obnoxius erat, remiſerit, ac inſuper juribus ſuis omnibus in ditiones Au-

ſtria-

A) Nicolaus Iſtvanſi Hiſtoriarum Lib. I.

Digitized by Google

ſtriacas ratione dotis nondum ſolutæ, aut ſucceſſionis Eliſabethæ Matri ſuæ quoquomodo competentis, litteris publicis renunciarit, die XXIII. Novembris ejusdem anni. Quæ demum omnia Maximilianus pariter rata habuit Oeniponti, die XX. Decemb. a) ULADISLAUS II.

VIII. Procurata domi forisque non ſine Beatricis opera pace, non levia hanc inter, & Uladislaum Regem exorta fuere diſſidia. Ut primum in Hungariam venerat Uladislaus, potentiſſimæ & opibus, & auctoritate apud ſuos florentis fœminæ gratiam aucupaturus, non modo nuptias ſpopondit, verum etiam, ut de his certiorem redderet, maritali prorſus licentia cum eadem conſuevit. Reddita itaque Regno tranquillitate, urgebat Beatrix, ſua ut ille pro-

Cur repudiata Beatrix Regina?

Cc 5

a) Singulas has litteras videre eſt in auctario diplomatico ad Urſini Velii hiſtoriam ab Illuſtr. viro Franciſco Adamo Kollár ex autographis exemplis ſumma fide vulgatas, ac etiam in Annal. Reg. Hung. ad A. MCCCCXCI.

ULADISLAUS II. promiſſa impleret. Lactabat is aliquamdiu ſpe optima mulierem viri cupidiſſimam, negotiumque in dies differebat, non tam calliditate; quam animi cuncta faſtidientis vitio. Ad extremum cum illa apud Innocentium VIII. Papam matrimonium urgeret vehementius, res in conventu Budenſi A. MCCCCXCII. ad Patres relata fuit. Multi muneribus Reginæ corrupti, nuptias reipſa ineundas contendebant: alii, qui, ſi Uladislaus absque hærede excederet, ad Maximilianum civitatem Hungaricam devolvi nolebant, acriter obſtitere, ne Mulierem evidenti argumento ſterilem compertam Rex conjugem duceret. Quæ pars cum prævaluiſſet, Beatrix nil ſibi apud ſuos ſpei eſſe videns, ad Alexandrum VI. denique confugit, oravitque, ut Uladislaum ad contrahendum ſolenni ritu matrimonium compelleret, quod ille dudum ante, ut ipſa confiteri non erubuit, promiſſum clam etiam conſummarat. Pontifex ne quid temere ſtatueret, Urſum Urſinum Legatum in Hungariam miſit, cauſam omnem cogniturum. Animadvertit

con-

Digitized by Google

continuo Legatus, a ducenda Beatrice minime abhorrere Uladislaum, qui & promiſſa ſua, & familiarem conſuetudinem minime inficiabatur; ſi modo id ſibi per Proceres Regni liceret. Hi autem aperte edixere, nunquam ſe paſſuros, idmodi mulierem Regi ſuo copulari, e qua nulla eſſet ſpes ſobolis ſuſcipiendæ, non ſine graviſſima Reipublicæ perturbatione. Non Legato modo, verum Pontifici etiam reipublicæ ſalutem privatis impudicæ mulieris rationibus antehabenti, Procerum probabatur ſententia; ut adeo habito III. Aprilis An. MCCCCXCIII. Cardinalium Conſiſtorio, Decretum tulerit, quo impoſito Beatrici ſilentio, Uladislaum ab ineundo eo matrimonio liberum pronunciavit. Hanc habuit Uladislaus gratiam Mulieri non ſatis pudicæ, cujus potiſſimum conſiliis, artibusque, excluſo Joanne Corvino Duce, reliquisque æmulis ad Regni Hungarici culmen evectus fuit. Illa quoque haud ſatis ſancte ſervatæ conjugii fidei meritas dedit pœnas; ut quæ vivo adhuc Mathia Rege, poſtquam ejus amores faſtidiviſſet; novos

ULADISLAUS II.

jam

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

jam apud Maximilianum, jam apud Uladiſlaum, turpiter prenſabat; ſeque, ubi primum Mathias deceſſiſſet; in conjugium offerebat, Hungariæ Regnum dotis loco allatura; quæ res fortaſſe ei gravem illam conflavit invidiam, quaſi Mathiæ de induſtria venenum obtuliſſet. Hunc in modum repudiata Beatrix, cum modico, qui a profuſis Uladiſlai cauſa largitionibus ſupererat, theſauro Neapolim ad Patrem rediit, neque prius nuptiarum ſpem; quam vitam poſuit, ſublata e vivis in Inſula Ænaria A. MDVIII. Ceterum Uladiſlaus ab omni omnino conjugio alienus diu fuit, nec niſi ſerius multis ſuorum precibus adductus Annam Gaſtonis Fuxenſis Candalæ reguli filiam e Gallia ſibi adduci ſivit A. MDII. ex qua duarum prolium Ludovici, & Annæ Pater fuit.

Qualis Regni principio Uladiſlaus?

IX. Ab his curis, moleſtiisque ingenti ſtudio Reipublicæ negotia complexus Uladiſlaus, ea prudentiæ, æquitatis, & ſolertiæ dabat ſpecimina; ut nemo eſſet, qui non felicem eo moderatore futuram putaret

ULADISLAUS II.

ret Hungariam. Habitis crebro comitiis, ſedulo inquiri curavit in ea omnia, quæ ad communem gentis univerſæ, & privatam ſingulorum ſalutem, tranquillitatemque facerent: fraudes, quæ in tribunalia irrepſerant, ſeveris proſcripſit legibus, accuratamque judiciorum celebrandorum rationem præſtituit. Quod ad ærarium Regium attinet, etſi nonnihil de graviſſimis, quæ Mathias olim non raro exigere ſolebat, tributis remiſit, obtinuit tamen, ut oſtiarius ille florenus auri penderetur cum ad alias neceſſitates; tum vero ad ſtatarium militem conſtanter alendum omnino opportunus. Communi præterea omnium Ordinum conſilio modum faciendæ; ſi bellum ingrueret, militiæ, Prælatis, Baronibus, Nobilibusque præſcripſit, ita tamen temperatum, ut juſtis de cauſis liberum foret ſoluto pretio ſemet inde eximere, id quod Mathiæ Corvini temporibus non licebat per leges cum alias tum vero Ann. MCCCCLXXVIII. latas. Conſtitutum item; ut Rex mille equitum, totidem Raſciæ Deſpotus; ceteri Potentiores Regni,

quos

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

quos Banderiatos appellabant, CCCC. ſolum Banderium ad caſtra adducerent. Ad diſciplinam autem Eccleſiaſticam in ſuo vigore conſervandam illud ejus ætate utiliſſime ſancitum reperio: ne aut Juvenes, aut parum a virtute, litteriſque inſtructi beneficiis admoverentur, a) idque adeo religioſe obſervari præceptum, ut ſi qui tales eſſent, dignitate exciderent. Denique Mathiam Regem deceſſorem ſuum imitatus Uladislaus, moleſtiſſimo itinere ſuſcepto, univerſum Hungariæ Regnum peragravit; non modo ut regionis ſitum, naturamque ſpeculaaretur: verum etiam ſuismet oculis cognoſceret, qua cura ſtatutæ ab ſe leges obſervarentur; quis ſtatus, quæve firmitas arcium, ac præſidiorum in limitibus ſitorum: ritene ea adverſum vim hoſtium ſive a milite, ſive a machinis bellicis comparata

a) Hyppolitus Eſtenſis Strigonienſis Metropolita hac lege maxime petebatur, quem Mathias pueritiam nondum egreſſum ei Eccleſiæ præfecerat. Vide hujus res geſtas, & fata in ſerie Archiepiſcopor. Strig. Cl. Nicolai Schmitth.

Digitized by Google

ta eſſent: ac ſi quid ſecus, atque oporte- ULADISLAUS II.
ret, accidiſſe reperit, ſolerter corrigebat. Quo quidem nil ſapientius cogitari poteſt: quoties enim optime etiam a Principibus conſtituta effectu carent, ob eorum, quorum curæ credita ſunt, exequendi ſocordiam; quam multa eos latent, ſi ex aliorum ſemper relatione res cognoſcunt. Atque hæc agebat primis regiminis ſui annis Uladislaus, quo nempe tempore vivebant magni illi Heroes, qui in Mathiæ Regis diſciplina ad Sagum, Togamque adolevere, apud quem conſtat neminem, niſi inſigni fide, virtute, prudentia, juſtitiaque conſpicuum, dignitatibus admotum.

Feliciterne res acta cum Turcis?

X. Sic cum optime res Hungariæ compoſitas ſentiret Turcarum Imperator Bajazethes, non ea, qua volebat, audacia in fines Chriſtianorum incurrebat, & militis & Ducum veteranorum ſcientiam, ac felicitatem reformidans. Id quod non una clade damno ſuo expertus fuit. At Mathia Gerebo, & Stephano Bathorio viris bello clariſſimis e medio ſublatis, audendum ali-

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

quid rati Turcæ, Alibego Duce, conſtricto glacie danubio expeditum iter nacti, in Tranſilvaniam magno numero irruperant. An. MCCCCXCIII. Bartholomæus Drágfius Daciæ Vaivoda excitis continuo Siculorum Legionibus, cum hoſtis præda onuſtus reditum parat, ex inſidiis aggreſſionem facit, eo ſucceſſu; ut Turcæ XV. ſuorum millibus deſideratis in fugam abirent. Non minore fortuna in eos anno inſequente MCCCCXCIV. pugnavit Paulus Kiniſius Temeſienſis Banus, dum vaſtata Mœſia, Senderoviam armata manu cepit, direptamque, ne hoſti eſſet uſui, evertit. Præterea Raſcios Belgradenſes Præſidiarios, qui conjuratione facta arcem Turcis dedere parabant, graviſſimis affecit ſuppliciis. Ipſe etiam Joannes Corvinus Dux germanam parentis virtutem in ſe transfuſam probavit cum alias, tum vero An. MD. ad Jaitzam Bosniæ caput. Oppugnabant arcem hanc Turcæ, nihilque omiſere, quo priusquam adeſſent ſuppetiæ, loco potirentur. Joannes Corvinus contractis & ſuis, & Illyrici copiis juſtum brevi ad Jaitzam adducit

exer-

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

exercitum. Turcæ advenientibus obviam inſtructa acie progreſſi, continuo pugnam offerunt; id cum videret Corvinus, paucis Duces, militesque officii admonitos[l], quadrato agmine in hoſtem ducit, pertinax prælium noſtri non minore fortitudine, quam Turcæ pertinacia aliquot horis extrahunt, quoad illorum virtute loco moti hoſtes in effuſiſſimam fugam conjecti ſunt. Haud minor in fuga cædes patrata fuit, quod hoſtes in fluvium delati, cum impeditas utrinque ripas haberent, partim in profluentem ſe agerent præcipites, partim ad Corvinianos delati furentis militis gladiis necati eſſent: IV. millia cæſa ferunt; caſtra cum impedimentis in prædam victoribus ceſſere. Joannes Corvinus inſtauratis mœnibus, præſidioque impoſito, cum nobilioribus captivis ſignisque militaribus Budam profectus, Uladislaum Regem regnumque univerſum inſigni ea victoria recreavit. Gloriam re præclare geſta partam Corvinus biennio poſt An. MDII. novo facinore nobilitavit. In Serviam enim progreſſus, Vidino armata manu, cæſis præſi-

ULADISLAUS II.

diariis, expugnato, regionem omnem ferro, & igne vaſtavit, populationibus ad Nicopolitana usque ſuburbia ſparſis, non ſine illuſtribus ſpoliis: quæ fortaſſe cauſa fuit, ut Bajazetes ſupplices miſerit ad Uladislaum nuncios, qui inducias peterent, quas etiam in ſeptennium impetravit An. MDIII. die XX. Auguſti.

Cur editum celebre illud decretum?

XI. Poſtquam quiete acti anni prope XV. graviſſima repente in Regem exarſit invidia. Cauſas ſequentes prodidere. Primum ſingulis pene in comitiis lege cautum fuit; ut Moravi, Sileſii, & Luſatii Uladislao ceu Regi Hungariæ fidem ſuam obſtringerent, donec Hungarico ærario pacta in conventu Olomucenſi æris ſumma numeraretur, neque Bohemicæ, ſed Hungaricæ Coronæ forent obnoxii, atque iſtud publicis a Rege litteris declarari petebatur. Uladislaus etſi juramentum fidelitatis ab eis jam acceperat, eisdemque vicaria poteſtate germanum ſuum Sigismundum præfecerat, an tamen illi fiduciarios ſe Hungariæ ea propter feciſſent, nullo dato reſponſo incer-

Digitized by Google

incertos relinquebat Proceres, ſatis id eſſe exiſtimans, quod ex provinciæ ſibi fidem obligaſſent. Illud etiam ægre ferebant Hungari, quod Sopronienſem provinciam cum urbe cognomine, & Bartſam etiam exteris pignori locaſſet, ac inſuper non parvam limitum Hungariæ portionem Venetis Poloniæ Auſtriæ adſcribi ſiviſſet; quin quidquam ea propter obmoveret. Accedebat, quod in proxime inita Albertum inter Poloniæ Regem, & Bogdanum Stephani filium Moldaviæ Vayvodam pace, ditionem hanc in Polonorum clientelam aſſeri prudens volensque permiſerit, A) quæ tot ſeculis ad S. Coronæ Hungaricæ dominatum

ULADISLAUS II.

Dd 2 per-

B) Bogdanus quidem An. MDV. in gratiam Polonæ Sponſæ Eliſabethæ Alberti Regis Sororis Polonis ſe conjunxerat, anno tamen inſequente, per Stephanum Telegdi ab Uladislao Rege eo miſſum ad S. Coronæ Hungaricæ obſequium revocatus fuit. Nota ex tranſitu: Walachiam utçunque in obedientia S. Coronæ perſtitiſſe, cujus Wayvoda Anno MDVIII. cum muneribus ad Uladislaum Budam venerat, fidemque profeſſus Aldiodum Oppidum in Tranſilvania a Rege ſuo dono accepit.

Digitized by Google

[redacted]

ULADISLAUS II.

pertinuerat; quamque ab Uladislao Jagellone olim ab obſequio Regis Hungariæ abſtractam, ac necquidquam a Sigismundo Imperatore & Rege repetitam, Mathias Corvinus victo ejus Wayvoda Stephano, ad obſequium revocaverat: & adverſus Turcas toties glorioſe tuitus fuerat. Dolebat ſenioribus, grande illud inter Mathiæ Regis & Uladislai tempora diſcrimen: cum illo imperante, rem Hungaricam ſummo in flore gloriæque apice locatam meminiſſent; vehementer mirabantur ſenſim omnes reipublicæ partes collabi, ærarium Regium, rem civilem æque ac militarem peſſime conſtitutam; medelamque ſuſpirabant. Animadvertebant denique, Uladislaum tædio quodam Reipublicæ captum, inſigni in juribus ſuis tuendis, atque auctoritatis Regiæ uſu ſocordia & ignavia laborare, non ſine graviſſimorum malorum, quæ ab ambitioſis quibusdam poſtea cauſata fuere, metu. Itaque Emericus de Perén Regni Palatinus probante Rege, comitia ad campos Peſtanos indixit, in diem III. Calend. Octobris An. MDV. quo cum magna An-

tiſti-

Digitized by Google

[redacted]
ULADISLAUS II.

tiſtitum, Procerum, Nobiliumque frequentia conveniſſet, placuit univerſæ gentis querimonias ad Uladislaum per certos nuncios referri, ut iis auditis, ſerio de de afferendo communibus malis remedio, cogitationem ſuſciperet: at cum Uladislaus more ſuo ne verbum quidem ad ea repoſuiſſet, ignavo eo Regis ſilentio adeo comitiis crevere animi, ut firma conſenſione ſtatuerent, ſi Uladislaus citra hæredem decederet; nullum ſe unquam exterum lecturos Regem, graviſſimis pœnis in eos conſtitutis, qui adverſum eam legem aliquid moliri auderent; ſinguli autem ad eam obſervandam jurisjurandi religione ſe obſtrinxere. Confectum poſtea de hoc Decretum, cui præter Cardinalem Strigonienſem Thomam de Bakáts, X. Epiſcopi, XL. Barones, & Senatores Regni, nec non CLXXX. Provinciarum Legati ſubſcripſere XV. die Comitiorum. A) Mirum ſane, elabi Hun-

A) Decretum hoc, & eorum, qui id ſignavetunt, nomina lege apud Cl. Belium in Notit. nov. Hung.

[redacted]

ULADISLAUS II.

garis e memoria potuiſſe tractatus eos, quos ſub Mathia Rege cum Friderico Anno MCCCCLXIII. & An. MCCCCXCI. cum Maximiliano Cæſare de ſucceſſione ſtirpis Auſtriæ.

Hung. & Práy in Annal. Reg. Hung. ad an. cit. Juvat huc famigerati hujus decreti partem, qua damna per exteros Reges Hungariæ illata continentur adſcribere: „Hi etenim forenſes, *ideſt a foris, exteris e domibus electi Reges* privatis rebus eorum intenti, priusquam mores & conſuetudinem hujus Scythicæ gentis (quæ ſicuti Regnum hoc cum maxima ſanguinis ſui effuſione, & fratrum ſuorum cæde aquiſivit, ita ferro & armis modo quoque tutari ſolet) didiciſſent ſemper otio potius & quieti quam armis incubuerunt, quo factum eſt, ut RAMA, SERVIA, GALLICIA, LODOMERIA, BULGARIA DALMATIAque & alia quam plurima fortalitia per eorum incuriam ab hoc Regno ſint abalienata, adeo ut dilaceratis extremitatibus verendum nobis ſit, ne hoſtiles impetus jam ad interiora etiam ſe convertant." Hæc fidem faciunt iis, quæ de ſeceſſionis hujus cauſis commemoravimus: ac una argumento ſunt, Hungariæ Ordines adeo non conſenſiſſe in ditionum S. Coronæ, præſertim Dalmatiæ & Ruſſiæ alienationem, ut acerbiſſime etiam Regibus ſuis, quod eas vindicare neglexerint, ſuccenſerent.

Digitized by Google

Auſtriacæ initos ſuo quoque calculo ratos habuere. Uladislaus ubi editum hoc Decretum, & ad ſingulas provincias, ac Comitatus transmiſſum ex amicis audiit, adeo turbatus non eſt, ut ſolum ſe, resque ſuas Deo curæ fore ingeminarit. ULADISLAUS II.

XII. Multo aliter ea gentis univerſæ conſtitutio accepta fuit a Maximiliano, qui non obſcure jura ſua An. MCCCCXCI. partium conſenſione roborata per eandem everti ægerrime ferebat. Quapropter ſine mora nuncios ad Uladislaum miſit, qui rei geſtæ modum, rationemque expoſcerent, ac de reponendis in integrum veteribus pactis tranſigerent: atque ille quidem pronum ad omnia, quæ Cæſar vellet, præſeferebat animum, veteraque pacta novo affinitatis inter filiolam Annam, & alterutrum e Cæſaris Nepotibus ſponſione roboravit. A) Sed altius Cæſaris animo hære- Quomodo, illi derogatum?

 bat

A) Conſtitutum nempe, ut Anna Uladislai filia Carolo, vel Ferdinando Archiducibus Auſtriæ, Maximi-

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

bat nupernum comitiorum Decretum, eo, quam ut ſolius Uladiſlai Regis a ſuis contemti conſenſione jura ſua tuta putaret, & quia Hungaros mentem ſuam ſponte retractaturos minime ſpes erat, juſto cum exercitu Hungariam An. MDVI. ingreſſus, Poſonii aliquamdiu ſibi ſubſiſtendum putavit; ut Hungaris de pace deliberandi ſpatium indulgeret. Uladiſlaus eo armorum ſtrepitu excitatus, continuo nuncios ad Cæſarem miſit, priſtina fœdera renovaturos; at negavit Cæſar tractationem ullam ſe admiſſurum, niſi univerſi Regni nomine caveretur, quod conſtitutum fuiſſet, ratum habitum iri. Itaque Albam Regiam Proceres convocare placuit: hi audita adventus Cæſaris cauſa, cum rem ſuam militarem non eo jam eſſe cernerent loco, ut poten-

ximiliani, ex Philippo Caſtellæ Rege filio, nepotibus deſponderetur. Quæ ſponſio poſtea novis tabulis poſt Ludovici nativitatem confirmata fuit, additumque, uti Ludovicus alterutram Cæſaris Neptem Catharinam, vel Mariam conjugem duceret. Conſule litteras in Annal. Reg. Hung. ad An. MDVII.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

potentiſſimo hoſti repente auderent occurrere, belli, & quæ illud conſequi ſolent, calamitatum metu facile de priſtina ſententia ſe dimoveri ſivere, quodque petebatur, plenam conficiendæ pacis poteſtatem publico inſtrumento dedere VII. Calendas Julii An. MDVI. id quod Uladislaus etiam eodem die ſeorſim præſtitit. a) His inſtructi mandatis Oratores, quorum Princeps Gregorius Colocenſis Archiepiſcopus, Viennam profecti facile pacem ſanxere, qua cautum fuit, ut quæ veteribus tractatibus ſtabilita erant, Maximiliani Cæſaris & hæredum jura ſalva remanerent. b) Pacis tractationem faciliorem reddidit lætiſſimus Buda nuncius, qui Reginam fatali ſibi partu c) Ludovicum filium Calendis Julii enixam retulit.

a) In Annal. Reg. Hung. ad an. cit.

b) Fœderis tabulæ Viennæ XIX. Julii ſignatæ ſunt, quas vide in Annal. Reg. ad An. MDVI.

c) Obiit Anna Regina paucis poſt diebus ingenti aulæ totius luctu, quæ ut erat virilis animi, cum privata aulæ negotia ſapienter adminiſtrabat, [illegible] quam

ULADISLAUS II.

Quo tempore coronatus Ludovicus?

XIII. Mortem conjugis plane infra viri conditionem tulit Uladiſlaus, tantumque contracto inde mœrore abripi ſe ſivit, ut neque recens nati filii incolumitate multum delectaretur. Quod autem omnium minime ferendum videbatur; quo liberius dolori indulgeret, hominum ſemet conſpectui ſubducens, omnem animum & ſolicitudinem a reipublicæ negotiis abduxit, quaſi nil ſibi jam agendum in vita reſtaret. Nemini tum ad eum aditus patuit, etiamſi maximis de rebus acturus nunciaretur. Unde vix dictu eſt quanta enata ſint incommoda; dum ii, quos ambitio & avaritia urebat, privatas interea res ſuas egregie curabant non ſine iniquiſſima debiliorum oppreſſione. Ignavam hanc ſolitudinem coluit Uladislaus annum integrum a conjugis obitu. Quam diutius non ferendam ratus

tum vero virum conſiliis ſuis præclare moderabatur, molitionesque malevolorum tempeſtive ſubodorata in ipſo ortu feliciter præfocabat, geminas autem reliquit proles ſuperſtites Annam An. MDIII. editam, & Ludovicum An. MDVI. natum.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

ratus Thomas a Bakáts Strigonienſis Cardinalis, captata occaſione Regem adit, eidemque, quantum ea ſocordia toti Regno obfuiſſet, ob oculos ponit, tum ut in homine aliquem lætitiæ ſenſum excitaret, narrat, optare univerſos Regni Ordines, ut Ludovicus ex majorum ritu ſacro diademate inſigniretur. Placuiſſe viſa eſt ea denunciatio Uladislao; inſequente enim die, poſito ſquallore, purpuram indutus, hilari utcunque vultu, ſuis ſe ſpectandum obtulit: e quo cum mitigatum Regis ſui dolorem animadverterent, accelerandam Ludovici inaugurationem cenſuere. Itaque ad IV. idus Martii An. MDVII. Ordines Regni Albam Regiam convenire juſſi, quo tempore Thomas Strigonienſis bimulum infantem coronavit, Uladislao ipſo pro puero filio conſuetum Ordinibus Sacramentum dicente. Hungaros Bohemi biennio poſt imitati Ludovicum Pragæ inauguravere. Gemina hæc coronatio ſecuram ſpondebat Ludovico Principi in paternis ditionibus ſucceſſionem; at enim non leve jam ei impendebat periculum a Joanne Zapo-

lya,

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

lya, Tranſilvaniæ Vayvoda, qui quod immenſis opibus abundaret, ſpem ſibi Regni Hungarici præ Ludovico obtinendi faciebat. Uladislaus, qui hominis quotidie potentia & vulgi favore creſcentis ambitionem in ipſo ortu præfocare debuerat, novum huic fomentum addidit, cum Sigismundo Poloniæ Regi fratri ſuo auctor fuit, ut illius ſororem Barbaram conjugem acciperet: qua affinitate ſane quam ſplendida An. MDXI. contracta tumidus Joannes, & ipſe Annæ Uladislai Regis filiæ nuptias aperte ambire, atque viam ſibi ad ſolium præparare cœpit: ut paulo poſt ſuis locis explicaturi ſumus.

Quæ occaſio cruciatæ expeditionis?

XIV. Interjectis aliquot annis pulcherrima rei in Turcas feliciter gerendæ occaſio oblata, quod Selimus erepto A. MDXII. Patri Bajazeti Turcarum Imperatori Regno, acerrimo cum fratribus bello occuparetur. Dum itaque mutuis ſe cædibus nominis Chriſtiani hoſtes atterunt, Thomas Bakáts Regi auctor fuit, ut occaſione uteretur. Sed præterquam quod Uladislaus ſolita ſocordia

cordia a bello abhorreret, adeo jam res militaris apud Hungaros collapſa fuit, ut vel inter eas Imperii Ottomanici ruinas nihil tentare auderent. Potentiores ut opibus abundabant, luxui dediti otium præ bello amabant: nullus jam ſtatarius miles alebatur, ſublata erat celebris illa nigra Mathiæ Corvini Legio vincere aſſueta, neque cogendi per nova ſupplementa exercitus ſpes ulla domi affulgebat; quod ærarium Regium Præfectorum avaritia adeo maligne adminiſtraretur, ut vix aulæ uſibus ſufficeret, verbo denique Rex Hungariæ eſſet egentiſſimus. Huic incommodo ut occurreret Cardinalis, bona Regis venia Romam ſubſidii cauſa profectus fuit An. MDXII. Leo X. Pontifex, qui Julio II. ſuffectus erat, præter ſpem pecuniæ, plenam quoque Cruciatum militem ſcribendi obtulit poteſtatem. Ubi Budam ſub exitum An. MDXIII. rediit Cardinalis, conventuique Procerum anni inſequentis principio ibi celebrato mentem Pontificis, omnemque rei ab ſe geſtæ rationem explicuiſſet, varias in partes Procerum volun-

ULADISLAUS II.

tates

[redacted]

ULADISLAUS II.

tates diſtractæ ſunt. Alii, queis otium præ ſalute Reipublicæ, & nominis Hungarici gloria placebat, abſtinendum omni in Turcas bello cenſebant, ne ejusdem poſtea continuandi neceſſitas ſibi imponeretur: alii nulla ſumtuum in id faciendorum habita ratione promulgandum Pontificis edictum, ſignandosque cruce milites cenſuere; at Stephanus Telegdius, qui Benedicto de Battyán officio moto, A) ærarii Regii præfecturam non multo ante adeptus erat, bellum quidem inferendum cenſebat; minime tamen cruciatæ expeditionis bul-

A) Benedictus de Battyán Regius Theſaurarius una cum Vice Theſaurario An. MDX. cuſtodiæ dati ſunt, quæſtionique ſubjecti ob diſſipatos proventus Regios: exſtat de hoc Epiſtola Uladislai Regis ad Emericum de Perén Palatinum data in Annal. Reg. Hung. ad hunc annum Benedicto de Battyán ſuffectus fuit Franciſcus de Perény, filius Emerici Palatini: quo poſt obitum Sigismundi Thurzo ad Epiſcopatum Varadinenſem translato, ærarii Regii præfecturam Stephano Telegdi viro bello pace, obitisque legationibus clariſſimo Anno MDXIII. contulerat Uladislaus.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

bullam, qua militaturis plenariæ, ut vocant, offerebantur indulgentiæ, vulgandam: quod id militum genus e fæce hominum, agreſtique turba, laboris potius ruralis tædio; quam ſtudio boni operis convolaturum ad arma putaret, nullo cum fructu: imo vero non ſine certiſſimo Regni periculo: quod enim exhauſto ærario ſtipendia ſtatis temporibus diſtribui non poſſent, verendum ne tota illa agreſtis multitudo in rapinas converteretur: cum itaque ærarii res optime haberet perſpectas Telegdius, ſuadebat iis potius pœnarum, peccatis debitarum, relaxationem tribuendam eſſe, qui pecuniam bello neceſſariam obtuliſſent, qua prævie in ærarium illata commodius conſcribi miles poſſit, riteque inſtructus in hoſtes duci. Sapientiſſimum ſane conſilium Telegdii a majore Optimatum, qui nil de ſuo conferre volebant, parte rejectum fuit, quod bellum illud citra ſumtus omnes geri voluere. Cum itaque hi numero prævalerent, neque Rex defixis in terram oculis ſilentium premens quidquam conſtitueret, permiſſum Cardinali,

ut

ULADISLAUS II.

ut Pontificis edictum vulgaretur. A) Unde poſtea fatale Hungariæ. Bellum cruciatum eodem adhuc anno MDXIV. erupit.

Quanto Hungariæ damno?

XV. Itaque Cardinalis Thomas die poſtero peracto in arce Budenſi in æde D. Sigismundi Miſſæ Sacrificio, Bullam Pontificiam ſolenni verborum forma pro concione promulgat, idemque, ut in reliquis Budenſis, & Peſtinenſis urbium templis fieret, imperat: quod ubi ceteri quoque Antiſtites ſuis in Diœceſibus impigre exequuti fuiſſent, ingens brevi otioſorum, & agreſtium hominum multitudo ad Peſtinum, ubi caſtris locus deſignatus fuit, confluxit. Ne autem incondita multitudo capite deſtituta, aut ſenſim dilaberetur, aut ſeditionem cieret; Georgium cognomento Dóſam B) virum fortem, & rei belli-

A) Conſule Iſtvanfium Hiſtoriarum Lib. V. & Annal. Reg. ad An. MDXIV.

B) Strenuus hic miles ad ſingulare certamen ab Aly Epirota Turcarum Ductore provocatus haud procul

ULADISLAUS II.

bellicæ peritiam cruciatis Ducem præfecit Cardinalis, tradito illi in D. Sigismundi æde albo, quod Roma ſecum attulerat, vexillo, purpurea diſtincto cruce. Didita per Regnum fama Georgio Dóſæ rei ſummam eſſe creditam, coloni ſeu victoriæ, ſeu prædarum ſpe animati, deſerto vomere, tanto numero in caſtra Peſtana confluxere, ut XL. mille cruciati brevi tempore in armis ſtarent, præter eos, qui Varadini, Albæ, & Colocæ e vicinis Provinciis colligebantur. Juſtus ſane exercitus, qui ſi in hoſtes ductus fuiſſet, egregium quid pro re Chriſtiana tentari poterat. At enim ſecus accidit partim quia ſtipendia tanto numero alendo deerant; partim quia, unde minime timebatur, odio in nobilitatem univerſa pene plebs exarſerat: cum enim mul-

procul Belgrado, hominem nimium præfidentem transacta per parmam, & pectus haſta proſtratum humi obtruncarat, atque idcirco Budam præmii accipiendi cauſa appulſus, iisdem fere diebus, ab Uladislao equeſtri ordine, torque aureo, & ampliſſimis inter Belgradum & Temesvarinum latifundiis donatus fuit.

ULADISLAUS II.

multis locis ſubditi pene omnes relictis conjugibus, & liberis dilaberentur, Nobiles, ne agricolarum penuria ſui ſquallerent agri, veriti, profugos etiam vi adhibita retrahere cepere. Cujus rei fama ubi Peſtinum pertinuit, agreſtis illa colluvies eam Nobilium cautelam ſuam rata injuriam iniquiſſime vindicare ſtatuit; Dux ipſe honoris, quem nuper ab Uladislao in Nobilium numerum cooptatus obtinuerat, immemor, tantum abeſt, ut ſceleſta ſuorum conſilia in ortu præfocaret; ut etiam multitudinis audaciam ſua auctoritate armarit. Dehortante enim necquidquam Gregorio fratre, converſis in nobilitatem armis, facto in ſuburbanas Budæ, & Peſtini Nobilium ædes & Palatia impetu, obvios quoſque exquiſitis tormentis excrucians, ſæviendi initium fecit: tum diviſis trifariam copiis, Laurentium Czegledi Agriam, Barnabam quendam Bachiam properare juſſit, cetera Cruciatorum agmina ſibi auctoraturos, ipſe vero Szegedinum verſus caſtra promovit. Horret calamus referre, quanta barbarie & inſania armatum iſtud vulgus

gus

Digitized by Google

gus iras ſuas in ſummos, infimosque, nobiles, ac ſacros etiam viros, & Antiſtites evomuerit: non ſatis erat vita privare, niſi ludibrio prius habiti, per mille cruciatus mori ſe ſentirent. a) Matronarum autem, & virginum nobiliſſimarum deploranda maxime erat conditio, quas per ſummam infamiam furioſæ plebis libidini ſtuprandas ſceleſtus ille Ductor proſtituebat, non ſine inſano Parentum, aut maritorum conjuges filiosve ſuos viliſſimæ fœcis licentiæ immolari ſpectantium dolore. ULADISLAUS II.

a) Juvat hic triſtes nonnullorum e præcipuis nobiliſſimisque viris cædes paucis adſcribere. Joannes de Chak Chanadienſis Antiſtes Infula, & Stola per ludibrium indutus, verberibusque prius indignum in modum affectus, præacuta ſude per inguina adacta expiravit. Stephanus Telegdi Cameræ Præſes fune per eas, quas natura occulit, partes traducto ſuſpenſus, tamdiu ſagittis petitus fuit, dum animam ageret. Nicolaus Zolyomi cum conjuge, prolibus, ac univerſa familia domui incluſus incendio immiſſo interiit. Plura lege apud Iſtvanſium, & in Annalibus Reg. Hung. ad A. MDXIV.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

Quomodo compreſſa ſeditio?

XVI. Hæc, aliaque cum Uladislaus, & Thomas Cardinalis intellexiſſent, atque una collucentes flammis vicos, & oppida e Budenſi Regia ſuismet prope intuerentur oculis, ſtupore defixi; vix, quid iis rerum rationibus conſilii capiendum eſſet, inveniebant. Cardinalem maxime, quia expeditionis infauſtæ auctor erat, pudor, & facti pœnitentia inceſſit: dolebat nempe arma ſe, imprudentem licet, multitudinis inconditæ furori ſubminiſtraſſe, quæ in ipſa Patriæ viſcera, ac nobiliſſimorum virorum excidium illa converteret. Neque malo ullum afferri poſſe videbatur remedium, quod in Regno tam vaſto, olim armorum gloria florentiſſimo, nullus plane ad ſecuritatem publicam domi adeo neceſſarius miles aleretur, præter paucos, qui in Caſtro Budenſi vix habendis excubiis ſufficiebant. Quod ſi ſtipendio conductæ, ac ab armis optime comparatæ copiæ, ut Mathiæ Corvini ætate obſervatum fuit, præſto fuiſſent, poterat ſane ipſo in ortu ſeditio præfocari. Itaque in ſumma illa perturbatione rogatis Procerum, qui aderant, ſententiis, ſuaden-

Digitized by Google

[redacted]

ULADI- SLAUS II.

te Joanne Bornemiſza Ludovici filii morum Moderatore, miſſus extemplo in Tranſilvaniam nuncius, qui Joannem de Zápolya ejus Provinciæ Vayvodam admoneret, uti contractis celerrime copiis, primo quoque tempore furenti vulgo occurreret. Ipſe autem Bornemiſza raptis, qui in caſtro Budenſi excubabant, Prætorianis, & Nobilium, qui in dies pro aris, & focis dimicaturi confluebant, turmis, circa Peſtinum rem in viliſſimos hoſtes proſpero ſucceſſu egit; ut multi poſitis armis Regis clementiæ ſe permitterent; ſpeſque eſſet componendæ iis in locis ſeditionis, quod idoneo Duce illa careret. At longe difficilior Joanni de Zápolya provincia obtigit, quod Georgius Dóſa omnia ex diſciplina militari gereret. Neque tamen Joannes deſpondit animos. Juſto enim Tranſilvanorum, & Siculorum exercitu inſtructus, quacunque iter habebat, Nobiles ſub ſigna non invitos coegit. Hunc in modum viribus auctus, magnis itineribus Temeſiam, quam Georgius arcta premebat obſidione, contendit. Ut appulit Vayvoda, ingens re-

[redacted]
ULADIS-LAUS II.

rebelles inceſſit trepidatio, qua comperta, Georgius Dóſa multum in celeritate momenti ponens, brevi oratione ſuos cohortatus, ad pugnam diſpoſuit. Vayvoda nihil cunctatus armis, & apparatu bellico inſtructum nobilem militem, quanquam ex itinere fatigatus erat, impreſſionem facere jubet: pugnatur utrinque inſigni pertinacia, donec ab equitatu turbatis agreſtium ordinibus, perfida plebs in fugam verſa fuit. Cæſorum ingens numerus, captivorum item; quos inter facinoroſorum Ductor Georgius, qui proſperis elatus ſucceſſibus paucis ante diebus Regem ſe in caſtris promulgari juſſerat. At de hoc quidem inauditum ad id tempus ſumtum eſt ſupplicium: in ferreo enim, ignitoque ſolio nudus collocatus: tum Sceptro, & Corona candentibus ornatus fuit; ſic conſidentis, & uſtulati Regis ſui membra edere juſſi novem e captivis, XV. dierum inedia prius macerati. Hos inter cruciatus ne gemitum quidem edidit Georgius, donec medios inter ignes animam exhalaret. Cetera captivorum turba Zingaris crucian-

da

da, necandaque fuit tradita. Per idem tempus ii etiam, qui Bachiam confluxerant ſeditioſi, Jacobi Bánfii virtute victi, profligati, variisque ſuppliciis enecti ſunt, ut adeo eo tumultu LXXX. & amplius ruſticorum millia periiſſe ferant. Atque hunc in modum fœdiſſima illa a Cruciatis, quos Curutzones dixere, excitata procella, quatuor menſium ſpatio diſſipata fuit, exeunte autumno Anni MDXIV.

ULADISLAUS II.

XVII. Tanto diſcrimine liberata Patria, indicta ſunt ad diem XVIII. Octobris ejusdem anni Budam comitia: actum illic de pœnis in perduelles ruſticos, & de remediis, quibus deinceps in obſequio continerentur. Datum itaque Vice-Comitibus negotium, ut Judice Nobilium, aliisque XII. viris in conſortium aſſumtis, in perfidos quæſtionem inſtituerent, pœnasque pro delicti gravitate irrogarent. Seditionis primipilis, Tribunis, & Centurionibus mortis pœna dictata: uti & iis, qui Matronas, & Virgines nobiles, fœde violaſſe judicio convicti eſſent: horum autem

Quid ea propter in Comitiis actum?

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

poſteris illa inuſta nota, ut nullo unquam tempore ſuis in pagis alicui magiſtratui admoveri, minus libertate donari poſſint. A) Si damnorum Nobilibus illatorum auctores deprehenderentur, ad eadem ſarcienda adigerentur. Univerſim omnibus ruſticis, qui fatalem eam militiam ſecuti fuerant, graviora, quam antea, tributa Regi, una & Dominis pendenda ſunt impoſita; vetitum agreſtibus ſub amiſſione dextræ arma deferre, aut a Dominis ſuis alio diſcedere, alibique, quod antea liberum erat; domicilium figere. Ne autem has pœnas aliqui poſſent eludere, provide conſtitutum; ut, qui ad vicinas Provincias ſe receperant, Regia auctoritate reperterentur. Ad Nobilium autem indemnitatem, ſalutemque hæ leges perlatæ; quoniam eo tumultu

multu

A) Cauſam hujus pœnæ his verbis decretum Artic. XLVII. exprimit: „ ut omne Seculum agnoſcat, quam deteſtabile quam enorme quamve turpe vitium ſit poſt Deum, apud Hungaros Virginum defloratio ac mulierum violatio: „ Ex quo intelligitur vel in communi illa Hungariæ corruptione ſcelus hoc apud Hungaros inuſitatum fuiſſe.

Digitized by Google

multu multa (parſa de induſtria incendio publica & privata tabularia flammis fuere abſumta, impetratum ab Rege, ut iis Nobilibus, qui inſtrumenta ſua amiſerant; præmiſſo antea examine, jura poſſeſſionum novis diplomatibus confirmaret, atque illic veteres litteras flammis abſumtas, aut deperditas diſerte ſignificaret; ut ſic familiarum antiquitati conſuleretur. Conſtitutum deinde; ut ſingulis in Comitatibus arx munimentis inſtructa erigeretur, ad quam Nobiles, ſi ejusmodi tempeſtas aliquando rediret, ſe poſſent recipere; quin & privatis Nobilibus conceſſum; ut, petita prius a Rege venia, ædes ſuas foſſis & propugnaculis communirent. A) His denique in comitiis tripartitum opus Juris conſuetudinarii, quod elaborandum, publica auctoritate Stephano Verbôtzio aliquot ab hinc annis datum fuit; quoniam abſo- ULADISLAUS II.

Ee 5 lutum

A) Has, aliasque tum perlatas conſtitutiones vide in Decreto VII. Uladislai Regis die XIX. Novembris An. MDXIV. ſignato, ut habetur in Codice Juris Patrii.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

latum jam erat, Rex Paulo de Varda Præpoſito Eccleſiæ S. Sigismundi Budæ, tum Benedicto de Battyán arcis ejusdem Caſtellano, & octo aliis Regni Senatoribus examinandum dedit, qui, cum id legibus Regni conforme pronunciaſſent, Uladislaus edito ſolenni diplomate id pariter ratum habuit, ac ſecundum id deinceps de capite, & fortunis civium judicari voluit.

Cur renovata pacta nuptialia?

XVIII. Suprema hæc fuere Uladislai Regis comitia: a quibus mox curas tranſtulit ad roborandam filio ſucceſſionem adverſus occultas Joannis de Zápolya Vayvodæ Tranſilvani molitiones; is enim ob confectum auſpiciis ſuis bellum ruſticum ingentem ſibi ubique gloriam, & amorem procuraverat, ut palam jactaretur a multis, hunc præ Uladislao corona dignum eſſe. Non diſplicebat Joanni ea aura popularis, ut qui maximis in Regno pollens opibus, & nova cum Sigismundo Poloniæ Rege Uladislai fratre A) affinitate tumidus,

A) Sigismundus Poloniæ Rex ipſo Uladislao Rege

das, non obſcure jam Regnum ambiebat, atque id tum unum agebat, ut Annam Uladislai filiam conjugem obtineret, a) qua potitus facillime ſceptrum quoque conſecutus fuiſſet. Has igitur Joannis deſtinationes cum nonnulli potentiores animadverterent, vererenturque, ne per Regis ignaviam votorum ille compos fieret, auctores Uladislao erant; ut Annam filiam Auſtriacorum Principum alicui deſponderet quantocyus, filio autem Auſtriacam ſponſam peteret, ſic huic ſucceſſioni ſecuritatique optime proſpectum iri. Paruit monentibus Uladislaus, Cæſarique Maximiliano mentem ſuam per nuncios expoſuit. Poſt multa ultro citroque agitata Poſonium convenire juſſi utriusque partis Oratores: pro Uladislao Thomas Bakáts ab Erdöd

ULADISLAUS II.

Rege auctore Joannis Zápolyæ ſororem Barbaram conjugio ſibi copulavit. An. MDXI. Conſule Jodocum Ludovicum Decium Lib. III. de Nuptiis & morte Barbaræ de Zapolya apud Carolum Wagner Analect. Scepuſii Parte II. pag. 123. Item Vide Part. I. pag. 151. & ſequ.

a) Conſule Annales Reg. Hung. ad A. MDXI.

ULADI-SLAUS II.

dod Strigonienſis Cardinalis, tum Colocenſis, & Quinque-Eccleſiarum Antiſtites: pro Cæſare autem Matthæus Gurcenſis tituli S. Angeli Cardinalis cum quatuor aliis aderant. Habitæ ſunt duobus prope menſibus harum nuptiarum cauſa deliberationes; demum die XX. Maji An. MDXV. terminatæ. Summa in eo erat; ut Ferdinandus, aut Carolus, uterque Philippi Caſtiliæ Regis filius, Annam Hungaram intra anni unius ſpatium conjugio ſibi jungeret, ſi id fieri non poſſet, eorum Avus Maximilianus Imperator tum forte viduus eandem acciperet. Ex adverſo intra idem temporis intervallum Ludovicus Uladislai filius Mariam Philippi Hiſpaniæ Regis filiam duceret. Utrique ſponſæ ſuis a ſponſis dotis nomine CC. aureorum nummum millia, & annui XXV. millium redditus ſunt aſſignati. Pacta hæc eodem die Uladislaus, & hujus frater Sigismundus Poloniæ Rex calculo ſuo probavere Poſonii, a) atque inde Viennam

a) Seorſim de hoc litteras dedere Sigismundus & Uladislaus, quas vide in Annal. Reg. Hung. ad An. MDXV.

Digitized by Google

nam abiere. Maximilianus tantos hoſpites ſummo cum honore accepit, quos ut arctius ſibi adſtringeret, Ludovicum in Auſtriacæ domus familiam adoptatum, ſuum in Imperio Vicarium Generalem, ac, ſi hæredes ſui deficerent, in ditionibus Auſtriacis ſucceſſorem nominavit. A) Quo autem nuptialia pacta certiora eſſent, Viennæ ad D. Stephani Nepotum abſentum vice, Annam Hungaram, ceremonias peragente Cardinale Bakátſio, ſibi ſolenniter copulavit Maximilianus ea, quam diximus, lege; ſcilicet ut ſua illa fieret conjux; ſi illi matrimonium hoc quacunque de cauſa inire nequirent, aut recuſarent. His omnibus ex ſententia geſtis Anna Hungara in Cæſaris manibus relicta, B) ultimum ſalutato Cæſare, Sigismundus Cracoviam;

ULADISLAUS II.

A) Fidem hujus adoptionis facit diploma recitatum ibidem.

B) Cuncta hæc & fœderum, & nuptiarum pacta novo iterum diplomate confirmavit Maximilianus die XXII. Julii ejusdem anni. Quod vide ibidem.

Digitized by Google

ULADISLAUS II. coviam; Uladislaus cum Ludovico filio Budam adulta æſtate eodem anno rediere.

Quo animo ea domi accepta?

XIX. Domum reverſus Uladislaus turbatos aliquantum reperit multorum animos. Emericus enim de Perény Regni Hung. Palatinus, incertum qua de cauſa; neque enim quidquam tum de ſucceſſione actum fuit, nuptialibus illis pactis interceſſerat, abſente enim adhuc Viennæ Uladislao, per celebriores Poſonii vicos circumvectus ſuo, Ordinumque Regni nomine omnia illic concluſa irrita declaravit. Maximilianus re comperta veritus, ne ea Palatini interceſſio aliquid olim turbarum daret, Uladislaum monuit; ut Perényium honorum, opumque machinis expugnare, ac ad retractandam interceſſionem adducere conaretur. Itaque Uladislaus hominem ad ſe accitum acrioribus primum verbis; & cum hæc nil proficerent, mitioribus aggredi cepit, pollicitus ſe illi arcem Sziklós cum ditionibus eó pertinentibus perpetuo jure donaturum, effecturumque una, ut a Maximiliano Imperatore Sziklóſienſis Du-

cis,

Digitized by Google

ctis, & S. R. Imperii Principis titulis ornaretur, ſi modo ſuæ voluntati ſubſcriberet. His fulgoribus captus demum Perényius Palatinus, tractatus illos Vienneſes ſuo pariter chirographo ratos habuit, cujus exemplum plerique poſtea ſunt ſecuti. Et vero ſtetere ſuis promiſſis & Uladislaus Rex, & Maximilianus Imperator: ac ille quidem continuo Sziklóſiam arcem contulit; hic autem biennio poſt, Ludovico jam imperante, honorificos illos Ducis, & Principis titulos Emerico Perényio Palatino ejusdemque poſteris ſolenni diplomate contulit. A)

ULADISLAUS II.

XX.

A) Datum eſt Diploma Cæſaris in oppido Badenſi die XXVII. Septembris An. MDXVII. quo Emericus de Perény perpetuus ſupremus Comes Abaujváriensis Regni Hung. Palatinus, Dux de Sziklós, & S. Rom. Imperii Princeps creatur utraque dignitate ad poſteros tranſitura. Autographum ipſum diplomatis nobiſcum communicavit Ill. D. Ignatius L. B. de Perény S. C. R. Apoſtolicæ Majeſtatis Camerarius. Ex hoc autem refellitur Iſtvanfii, & ceterorum Scriptorum error, qui Emericum Perényium Palatinum Uladislao Regi præmortuum, ac idcirco

Prin-

[redacted]

ULADISLAUS II.

admodum deſes exſtitit: voluntati optime comparatæ torpor quidam agendi, & difficultatum, quæ in rebus aggrediendis occurrere ſolent, metus obſtabat. Jurium Majeſtatis ſuæ, aut Sacræ Coronæ vel ignarus vel negligens, eadem & a Vicinis & a ſubditis ſuis impune violari diripive ſivit, non ſine incredibili ſuo privato & communi totius Regni incommodo. Graviſſimorum criminum reos, iniquos bonorum S. Coronæ; aut aliorum invaſores ac detentores ple[illegible]e non auſus, impunitos relinquebat: unde factum, ut qui etiam judicio triumphaſſent, ſententia executioni non data, ad bonorum ſibi adjudicatorum poſſeſſionem nunquam pervenerint: teſtantur id complures leges, quibus præcipitur, ut Palatinus aut Capitaneus Regni, inſurrectionem imperet, armataque manu iniquos alienorum bonorum contra judicum ſententiam detentores, ex eorum poſſeſſione dejiciat. Atque vel ex hoc eorum temporum depravatio intelligi poterit; quo Decreta Regia, aut tribunalium ſententias armata manu adjuvare oportuit. Hunc in

mo-

Digitized by Google

modum profligata tribunalium auctoritate, non mirum eſt potentiorum quosdam per debiliorum ſpolia & rapinas ad ſummas opes aſcendiſſe; Uladislao id patienter tolerante. Pacis, & otii domeſtici a) ultra modum ſtudioſus ab inferendo æque, ac propulſando bello alienus fuit, forte ea etiam de cauſa, quod collapſa domi re militari & exhauſto ærario quidquam utiliter agi poſſe deſperaret. In maximis juxta, ac minimis negotiis deliberabat multum, ſtatuebat nihil; ſic pluribus annis deliberatum fuit, an Turcis bellum inferendum, vel

ULADISLAUS II.

Ff 2 pax

a) Juvat huc Sambuci verba exſcribere: „ Viſus eſt, *inquit ille*, multis hic Rex ad otium, & pacem, quam bellum, & gubernationem magis aptus: interdum quod menſæ apponeretur, vix habuit. Cetera ſanctiſſimæ vitæ, perpetuis deditus precationibus adeo fuit, ut quibusdam, ubi procubuit, viſus ſit interdum divinitus a terra ſublevari. Sed & huic improbitas malorum, quod linguæ Hungaricæ prorſus expers fuerat, nocuit, & de gloria non parum detraxit. „ In Appendice ad Epitomen Ranzani inter Scriptores Hung. Tom. I. pag. 690. edit. Tyrnav.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

pax concedenda, quin quidquam decideretur, aut certe, quæ decrevit etiam, executioni minime dedit. Exemplo ſit illud: Maximilianus Cæſar crebris nunciis, & litteris Uladislaum hortabatur; ut Cameracenſi fœderi ſe inter, ac Julium II. Pontificem, nec non Ferdinandum Catholicum Hiſpaniæ, & Ludovicum XII. Galliæ Reges ad deprimendam Venetorum potentiam Anno MDVIII. inito ſocius accederet, junctisque ſecum armis, bellum Venetis inferret, ut ſic ille quidem ereptas Auſtriacis juribus terras nominatim Tarviſium & Paduam, Uladislaus autem ſuam recuperaret Dalmatiam: poſt multas conſultationes annuit demum Uladislaus; ſedensque in ſolio ſolenni ritu Venetorum Legato bellum indixit, niſi tota ſibi reſtitueretur Dalmatia. Sed ea res inter verba conſtitit: & ipſi Budenſis aulæ Adminiſtri anxium ob eam denunciationem Oratorem Venetum bono eſſe animo juſſere, futurum enim certe; ut Uladislaus nunquam bellum illud obmoveat. Nec ſecus factum non ſine Maximiliani Cæſaris ingratiis: Venetorum au-

tem

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

tem inexplicabili gaudio, qui adeo maligna belli principio uſi fuere fortuna, ut ſi Hungari fœderi illi ſe junxiſſent, facile totius Dalmatiæ contra S. Coronæ Hungaricæ jura poſſeſſæ dominio dejici potuerint. Ærarium, quod in tanta florentiſſimorum Regnorum amplitudine opulentum eſſe potuerat, ipſe prudens volensque exhauriri ſivit. Nam & peculatus crimine notatos citra ullam damni reſtitutionem abſolvebat, & petentibus etiam indigniſſimis improvide largiebatur omnia: Poſtquam inutilibus largitionibus ærarium evacuatum fuiſſet, mutuam a ſubditis levabat pecuniam, bonis primum, tum ceteris S. Coronæ proventibus pignori locatis: conſumto ſubinde omni ære alieno, redditibus, vectigalibuſque omnibus ea propter obligatis, cum nil jam ſupereſſet; Regni ordines malo remedium allaturi; ſequeſtrum, ut ajunt, Regi ſuo A. MDXIV. impoſuere. Profecto adeo tum Regis hujus facultates tenues erant, ut mille quidem prætorianos milites ad corporis ſui cuſtodiam alere potuerit, hinc factum, ut quod alii Reges officii, &

Digitized by Google

[redacted]

ULADI-ſLAUS II.

& gratiæ, ille penuriæ cauſa, alienas menſas adire cogeretur. Leges condidit ſapientiſſimas, parum tamen poſtea ſollicitus fuit, utrum eæ a ſubditis obſervarentur. Quanquam hæc ipſa legum ſub Uladiſlao perlatarum multitudo argumento eſt, multis Hungariam tum morbis affectam fuiſſe, ut tot curationibus indigeret. Ceterum ne in communi illa depravatione nonnullorum fraude Regnum penitus interiret, Generalium Comitiorum decreto, inſtitutus fuit ſenatus Regius, quod Conſilium Regni appellatum fuit: ex Prælatis, Baronibus, & equeſtris Ordinis viris conflatum: his imperatum, ut quotidianis conſultationibus in aula habendis Regi præſto eſſent: neque unquam omnes Buda diſcederent; ſed dimidia ſolum pars in horum ſtipendia (dabantur autem Prælatis & Baronibus DCC. Nobilibus Aſſeſſoribus CCC. floreni auri) decretum Vectigal trium denariorum, a ſingulis portis, ſeu ſeſſionibus per univerſum Regnum exigendorum. Sublato inopiæ cauſa ſtatario milite, rem militarem peſſumdedit, ignaviaque ſua Martios illos, pro-

Digitized by Google

proprioſque gentis Hungaricæ ſpiritus, quibus alii Reges adeo utiliter uſi erant, penitus extinxit, quin & peſſimo ſuo exemplo gentem univerſam ad otium, & quæ inde conſequi ſolent, vitia traduxit. Res litteraria tantis Mathiæ ſumtibus optime conſtituta ſub Uladiſlao, quod ipſe exiguus litterarum æſtimator erat, & ob inopiam mecænas eſſe non poterat, prope interiit; quod autem mireris maxime, ſelectiſſimos Corvinianæ Bibliothecæ codices, cum alia deerant muſſera, vilibus etiam, & rudibus perſonis donum dabat: ut adeo multis præſtantiſſimis libris illa imminuta fuerit. Nihil quidem ditionum Hungaricarum a Mathia Corvino ſibi relictarum amiſit, at neque auxit: graviter nihilominus ab eo peccatum fuit, quod Dalmatiam Venetis, Ruſſiam Rubram cum Podolia Polonis poſſidendam reliquerit: cum tamen utriusque ditionis recuperandæ opportunas haberet occaſiones: ac Dalmatiam quidem facile vindicaſſet per fœdus Cameracenſe; Ruſſiam autem cum Podolia repetere poterat, cum fratri Alberto primum; tum Alexan-

ULADISLAUS II.

Digitized by Google

ULADISLAUS II.

dro, ac denique Sigismundo jus ſuum, quo in Poloniam, ut primogenitus, gaudebat, tranſcripſit, ut mirandum ſit, tam illuſtris potentisque Regni, ut Polonia fuit, Coronam Uladislaum citra ullum commodum ad Fratres ſuos tranſire ſiviſſe. Quæ omnia Principe & Populorum Rectore parum digna in cauſa fuere, ut parvi fieret ab Hungaris, multique potentiores, excuſſo jugo, contemtaque imbecillis Regis auctoritate, ea moliri auderent, quæ ſubditos Regis ſui ſtudioſos, & patriæ amantes dedecerent, unde ultimum ſubinde Ludovico imperante conſecutum fuit Hungariæ excidium.

LUDOVICUS II. REX XXXVII.

A. C. MDXVI.

LUDOVICUS II.

Quæ Regni ejus initia?

I.

Decimum agebat annum Ludovicus, cum Patri ſuo Uladislao in ampliſſimorum Regnorum adminiſtrationem ſucceſ-

ſit.

Digitized by Google

ſit. Etſi enim avulſum jam non parum erat ab Hungariæ finibus, plures tamen ſuo ſub Dominatu illa cenſebat Provincias: ut Sclavoniam, Croatiam, Dalmatiam Mediterraneam, Bosniam, Serviam, Tranſilvaniam, Valachiam, & Moldaviam, quibus ſi adnumeres Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam, adeo amplum erat Ludovici Regnum; ut etſi admodum depravatum labefactatumque jam fuerit, ſi Ludovicus omni induſtria conſtantiaque adhibita, curatis reipublicæ vulneribus, illud in melius reformaſſet, non modo vis Ottomanica facile ſuſtineri, verum etiam cum fœnore propulſari potuerit: Quia vero per Uladislai Regis ſocordiam peſſime conſtituta res Domeſtica, ac idcirco imminens ab Ottomanis periculum non latebat meliores patriæ cives: quo communi Regni ſuæque ſingulorum ſecuritati proſpicerent, habito pro more ejus temporis Tolnæ primum; tum Bachiæ An. MDXVIII. Conventu Generali utiliſſimas ſane leges perferri curarunt: quas ſi executioni datæ fuiſſent, paucorum annorum ſpatio, collapſa

LUDOVICUS II.

LUDOVICUS II.

res Hungarica reſtitui poterat: juvat nonnulla huc adſcribere. Imprimis quoniam non ignorabant Patres ad procurandam Patriæ ſecuritatem internam æque ac externam ab hoſtibus, remque utiliter gerendam, nervo opus eſſe, ærario Regio ſub ipſa Regni initia proſpiciendum putavere. Itaque Decreto An. MDXIV. inſtaurato, ſanxere, ut nulla prorſus interpoſita mora, univerſa Bona Regia ſeu vendita ſeu pignori locata e creditorum, qui ea poſſidebant, manibus vindicentur: tum Theſaurario Regio in mandatis datum, ut rectam aliquam, utilemque rationem inveniret, contracta nomina expungendi. Quoniam autem plurimum æris debebatur Joanni Zapolyæ, hocque titulo ille plures triceſimas & civitates Regias ſibi ab Uladislao inſcriptas non ſine incredibili lucro poſſidebat, ſtatutum fuit, ut is extemplo omnia Theſaurarii Regii manibus reſignaret; ex adverſo autem e ſingularum portarum annuis Vectigalibus, quæ tunc quinquaginta denarii fuerant, vicenos denarios acciperet eousque, dum debitum omne expunctum

[illegible] eſſet. Porrexere poſtea curas ſuas ad inſtaurandam rem monetariam Cremnicii & Nagybányæ: datum Theſaurario Regio hanc ad priorem florem revocandi negotium; vetita omnis auri argentive exportatio; juſſi etiam omnes fodinarum cultores, more ſub Mathia Rege obſervato, metallum omne Cameræ Regiæ redimendum dare, quo ex copioſiore monetæ cuſione amplius ærario Regio lucrum accederet. Actum poſtea ſpeciatim de Regiis proventibus, qui ſane ætate illa non contemnendi erant: Caſtrum *Huſzt* cum Salinis omnibus Maramaroſienſibus & Tranſilvanicis, Triceſimæ, cum a certo pecudum genere pendi ſolitæ vigeſimæ & quinquageſimæ: Cameræ omnes ac fodinæ auri & argenti in Hungaria, Tranſilvania & Sclavonia. Liberæ Regiæque Civitates, & Saxones Regii in Tranſilvania. Caſtra: *Munkács*, *Tata*, cum ampliſſimis ſuis latifundiis: *Comaromium*. Cum ditionibus Danubio adjacentibus *Viſſegradienſi*, *Veterobudenſi*, Oppidis *Sámbek Salmár* & *Keſzó*, nec non inſulis: *Kos* ſive *S. Andreæ*,

LUDOVICUS II.

&

[redacted]

LUDOVICUS II.

& *Cſcpel*: *Cumani* & *Philiſtai* vel potius *Baliſtai* ſive *Jazyges*: Denique Budenſes aliorumve locorum decimæ Regi pendi ſolitæ. A). Præter hos proventus Aulæ Regiæ uſibus deputatos, decretum quinquaginta denariorum a portis ſingulis per univerſum Regnum exigendorum Vectigal, ad alendum militem prætorianum deſtinatum. Poſtquam hunc in modum ærario Regio proſpectum fuit, præter ea, quæ ad juſtitiam obſervandam faciebant: rem militarem inſtaurare conati ſunt Patres, utiliſſimis legibus hunc in finem perlatis. Quoniam ſagaciores præſagiebant, Turcas minime quieturos, ac ad horum impetum ſiſtendum paulo numeroſiore milite opus eſſe; eo curas ſuas convertere, ut quam maximas copias, armorumque exercitatione egregie excultas, erigerent; idque minimo Regis regnique diſpendio; ærarium quippe Regium, ut meminimus, alieno ære gra-

A) Conſule Decreti I. Bachienſis Artic. VII.XIII. XIV. item Uladislai Decreti VII. Articulos I. II. III.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

gravatum fuit; plebs autem poſt bellum Cruciatum ad incitas redacta majore tributo ſolvendo par non erat. Itaque provide ſancitum, ut univerſi Prælati ac Barones Regni, tum vero Nobiles ac utriusque ſexus Perſonarum Clauſtra, pro bonorum ſuorum amplitudine, ære ſuo milites conſcriberent: quoad numerum hæc inita ratio: ut ſinguli, etiam ii qui ex vetere inſtituto Banderia ideſt CCCC. alere conſueverant, a ſingulis viginti Seſſionibus ipſi adeo nobiles ſubditis carentes viceni ſingulos milites darent. Ne autem in legendo milite fraus aliqua locum habere poſſet, in quovis Comitatu e Nobilium numero unus conſtitutus, qui ſub fide juramento obſtricta, univerſa Prælatorum Baronum Nobilium & ceterorum bona, ſubditorumque Colonorum numerum diligenter examinaret, Theſaurarioque Regni conſignaret: ut is pro Colonorum numero militum pariter juſtum numerum poſſit exigere. Et quia proximus jam ardebat Ucalegon, illud etiam in Comitiis perlatum fuit: ut limitum Officiales ſive Bani & Barones hac

forma

LUDOVICUS II.

forma coactas copias ſuas univerſas; Prælati autem earum dimidiam partem ad limites Regni transmitterent, easdemque ibi ſub Capitaneorum Regiorum imperio ſumtu ſuo alerent, militari diſciplina imbuendas: quæ providentia eo ſpectabat, ne miles operoſe collectus, aut otio torpeſceret; aut conniventibus Dominis ſenſim dilaberetur. a) Atque hæc principio Regiminis Ludovici provide ſapienterque diſpoſita ſunt, quibus ſi ille conſtantiam addidiſſet, florens fauſtumque futurum erat illius imperium. Cui regendo licet pueri Regis ætas impar erat; ea tamen futuræ virtutis, prudentiæque ſuæ ſub initium præbebat ſpecimina; ut ſi bonis inſtitutoribus porro uteretur, artemque imperandi condiſceret; quam optimum Principem fore ſperarent ſui. In dirigendo porro Ludovico

---

a) Inſpice Bachienſis Decreti primi Articulos I. II. III. XXXIV. confer cum Uladiſlai Decreti I. majoris An. MCCCCXCII. Articulis XIX. XX. XXI. Item Uladiſlai Decreti III. ſive minoris Articul. XV. XVI. XVII. XVIII. XX. XXI. & XXII.

Digitized by Google

dovico ſat feliciter principio elaborabant Thomas Bakáts Cardinalis Strigonienſis ſpectatæ virtutis, & ſapientiæ Antiſtes, tum Joannes Bornemiſza morum gravitate conſpicuus, quorum fidei creditum illum a Patre meminimus. Geminis his viris ex Bachienſium Comitiorum Decreto additus fuit Senatus Regius ex IV. Epiſcopis, V. Regni Baronibus, & ſex ſupra decem Nobilibus Conſiliariis conflatus. a) Horum con-

LUDOVICUS II.

---

a) Conſule Comitiorum Bachienſium An. MD. XVIII. celebratorum Decretum. Articulo XXXIX. ubi Aſſeſſorum Conſilii Regii Budenſis nomina recenſentur. Juvat ea ad poſterorum memoriam huc adſcribere. *Ex Clero* lecti ſunt. *Strigonienſis Archi-Epiſcopus* Thomas de Bakáts S. R. E. tit. S. Martini in Montibus Cardinalis. *Colocenſis Archi-Epiſcopus* F. Gregorius de Frangepan. *Quinque-Eccleſienſis* Georgius Szakmári & *Tranſylvanienſis* Franciſcus de Varda Epiſcopi, *ex Baronibus*: *Palatinus*, Emericus de Perén. Laurentius *Dux Bosniæ*, *Judex Curiæ* Petrus Comes de S. Georgio & Bozin. *Wayvoda Tranſylvaniæ* Joannes de Zápolya Comes Scepuſ. *Comes Temeſienſis* Stephanus de Báthor. *Ex Ordine Equeſtri*: Michael de Zob. Joannes de

Pako-

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

conſultationibus & crebro, & libenter Ludovicus intererat, quid alii dicerent, audiebat, ſuaque pariter promebat ſenſa, ita denique ad omnia intentus erat, ut Reipublicæ curam quam maxime habiturus videretur.

Qui corrupta Regis indoles?

II. Spes iſtæ pulcherrimæ pene in ortu ipſo præfocatæ ſunt. Homines enim quidam per Uladislai inertiam regnare aſſueti, veritique; ne, ſi curis, & laboribus pro Republica a teneris aſſueſceret Ludovicus, Patre ſuo ſapientior aliquando evaderet, ſuoque ingenio, & voluntate poſtea imperaret, ſenſim ad voluptatum, quibus ætas illa capitur, illecebras, & quidvis aliud agendi licentiam tenerum Regis animum traducere nitebantur: monebant, hilari ut ſem-

Pakos. Franciſcus Bodo de Gergő. Nicolaus de Macedonia. Sigismundus Pogány. Nicolaus de Perneſz. Paulus de Arthánd. Nicolaus de Klesán, Michael Kendereſſi de Gyal. Joannes de Faiſz. Blaſius Chanyi. Nicolaus Thuroczy. Lucas Kuttaſſi. Georgius Derenchéni. Stephanus Amade & Georgius de Sythke.

Digitized by Google

ſemper, curisque libero eſſet animo, ſuoque indulgeret genio; indignum plane eſſe Principe, laboribus, & ſollicitudinibus ſubditorum cauſa ſemet atterere; relinquendum id Aulæ Adminiſtris, qui pro Regis, Regnique ſalute nil ſtudii, diligentiæque omiſſuri eſſent. Id præterea agebant nequiſſimi aſſentatores; ut puerum Regem ab eorum conſuetudine abducerent, quorum virtute, morum gravitate, & conſiliorum pondere melior poſſet evadere. a) Porro primas in depravanda Regis indole partes plerique Scriptores tribuunt Georgio Brandeburgico, qui poſtquam & ſuas, & opulentiſſimæ conjugis Beatricis Frangepaniæ Corvini Ducis Viduæ opes abligurivisset, Ludovici facilitate ad cupiditates ſuas abuſus fuerit. Continuis quippe comeſſationum tempeſtatibus, choreis, ludis, muſicis conventibus, hiſtrionum ſpe-

LUDOVICUS II.

a) Lege litteras Hieronymi Balbi, Ludovici Præceptoris, quas ad amicum ſuum Auguſtam dederat XXVII. Maji Anni MDXVII. & alios relatos in Annalibus Reg. Hung. ad hunc annum.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

ſtaculis, venatu, aucupiis, ceteriſque oblectamentis de induſtria obtruſis, adeo pueri animum a rebus ſeriis abſtraxerat denique, ut illi jam propria Principibus officia faſtidio eſſent, nihilque minus; quam de Reipublicæ negotiis ad ſe referri ſuſtineret; omnes enim gubernationis partes Adminiſtrorum ſuorum arbitrio ita permiſerat; ut nunquam ab eis factorum rationem repoſceret, ſeu perperam, ſeu recte ageretur. Ad ſubitam hanc Regiæ indolis commutationem vehementer ingemuit Cardinalis Bakátſius, A) & Joannes Bornemiſza, quin ullum adverſus aſſentatorum molitiones remedium poſſent adferre. Ipſa enim Regina Maria, B) mulier cetera præſtan-

A) Vixit Thomas Bakáts ab Erdőd S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopus Strigonienſis, Patriarcha Conſtantinopolitanus menſe Junio An. MDXXI., cujus res geſtas vide in Epiſcopis Agrienſibus P. Nicolai Schmitth e S. J.

B) Erat Maria Ferdinandi poſtea Regis Hung. ſoror, nuptiæ autem celebratæ ſunt menſe Junio An. MDXXI.

Digitized by Google

ſanctiſſima; etſi optime a teneris inſtituta erat, ſenſim ad viri ſui genium ſeſe conformavit. Ut adeo nemo jam eſſet, qui Regem admonere, ac ad meliorem frugem revocare poſſet.

LUDOVICUS II.

III. His artibus corrupta Ludovici Regis indole, Regia pariter dignitatis auctoritas omnis ſublata fuit: unde quæ in Rempublicam conſecuta ſint mala, facilius erit cuivis cogitare, quam verbis deſcribere. Illis, qui rerum potiente Uladislao ambitione tumidi res novas moliri ceperant, magnopere crevit audacia: nobiliſſimæ familiæ inteſtinis ſciſſæ odiis, faſtu, & potentia invicem decertabant; vigebat tum fatalis mos, quo plures e potentioribus intimam inter ſe inibant animorum viriumque conjunctionem, quam conſtitutiones publicæ Confœderationem A) appellant: ſocie-

Quæ inde in Rempublicam mala?

A) Tolluntur hæ in Conventus Bachienſis An. MDXIX. celebrati. Artic. XLIV. Poſtremo omnes Confœderationes & obligamina cunctorum Domi- norum

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

cietates hæ obſtabant, quo minus unio domi obſervaretur, adeo tum neceſſaria ad Regni Hungarici ſalutem, adverſabantur itam auctoritati Regiæ, quæ viribus tum deſtituta ridebatur: Præcipuæ tum Confœderationes fuere Joannis de Zapolya Waywodæ Tranſilvani & Stephani Bathori Palatini, quæ atrociter a ſe invicem diffidebant. Procerum plurimi prout animo comparati erant jam huic jam illi factioni adhæſerunt. Leges ſive olim, ſive recenter latæ impune violabantur: contempta jacebat ordinariorum Regni Judicum auctoritas: potentiorum aliquem quamcunque gravi de cauſa in jus vocare nefas putabatur. Quam depravationem cum diutius ferre non poſſet Nobilitas, in Comitiis congregata urgebat ſæpius Regem, ut adhibita ſeveritate hos abuſus tolleret, atque ut Regis auctoritati proſpiceret, ſolenni lege lata Ludovico

norum inter ſe ſtabilita atque facta ex nunc diſſolvantur, ut unusquisque liberius & ſincerius rebus Majeſtatis Regiæ, totiusque Regni ſui ſuperintendere & providere poſſit.

Digitized by Google

dovico poteſtatem fecit, ſummos quosque viros Regnique Barones, ſi dicto audientes non eſſent, illico dignitatibus præfecturisque propria auctoritate dejiciendi, aliosve pro libitu ſufficiendi. Verum Rex animo ſuo indulgens, jure ſuo uti noluit; aut certe refractariorum vires & potentiam veritus non potuit: quapropter Judicum ſententiæ nunquam fere executioni datæ ſunt ut ex Decretis Ludovici Regis non uno loco licet colligere. Neque in aula Regis ullus juſtitiæ locus fuit: venalis hic proſtabat fides, & æquitas, ut quis plus, minusve auri obtulerat, litteras obtinebat; hinc ſæpe factum; ut litigantes coram tribunali contraria quisque pro ſe mandata Regia proferrent, incredibili, & merito deploranda judiciorum, juriumque perturbatione: ſic non raro iniqui bonorum invaſores adverſus legitimos Dominos triumphabant. Ærarii Regii eadem fere, quæ ſub Uladislao, ratio fuit: tantum abeſt, ut Ludovicus perſolutis debitis Coronæ ſuæ redditus e privatorum manibus vindicarit, ut etiam novo ære alieno exemplo patris ſui

LUDOVICUS II.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

ſui publicum ærarium obruerit: cauſa diſſipatorum proventuum non una fuit; præcipua vero, quod Rex nullo diſcrimine, magnam auri vim in immeritos prodigeret, ac interdum res leviſſimas, imo nugas, quæ ſibi collibuerant, ingenti pretio redimeret. Tale illud erat, cum falconem XL. aureorum millibus a notorio ærarii Regii depeculatore mercatus fuit. Res militaris longe deteriore, quam ſub Uladislao, fuit conditione: nullus aderat ſtipendiarius miles, ſi prætorianos mille demas, quorum quadringenti ad Caſtri Budenſis cuſtodiam; ſexcenti autem, per limitanea Turcis præſidia diſtributi erant! quaſivero exiguus ſexcentorum manipulus Hungariæ finibus ſecuritatem a tam valido hoſte præſtare potuiſſet: habuere quidem Prælati & Barones Regni ſuas cohortes, quas Banderia (A) dixere: ſed hæ pacis tempore Regiis

A) *Banderium* ex Italica voce *Bandiera* quod Vexillum, vel ex Gallico *Bando* quod turmam ſignificat ortum habet, eſt autem Cohors militum potiſſi-

giis imperiis non parebant otioque diffluebant: niſi quod armis ſe exercerent tum, cum Potentiores ad propulſandam vel inferendam vim mutua inter ſe bella gerebant, armis; non tubunalium ſententia, lites inter ſe enatas decidere ſoliti, id quod tot leges in publicis Comitiis latæ incaſſum vetabant. Bellicoſa olim natio Hungarica longa ſub Uladislao pace a belli ſtudiis laboribusque deſueverat adeo; ut pauciſſimi eſſent rei bellicæ periti Duces, quorum ductu aliquid grande tentari poſſet. Ad cetera mala cumuli inſtar acceſſit frequens monetæ corruptio, valore pro libitu aucto, aut diminuto, & ejusdem procudendæ licentia ad ruſticos usque propagata; quo quid nocentius eſſe potuerit, haud ſcio. Hæc facies Hungaricæ Reipublicæ Ludo-

potiſſimum equitum, levis armaturæ ſive Huſzaronum; vel armigerorum: *Banderium* Regale conſtabat capitibus mille. Decret. III. Uladislai Art. XXI. Banderium Prælatorum aut Baronum non niſi quadringentos viros numerabat quorum pars dimidia armigeri, dimidia Huſzarones erant. Decret. I. Majus Uladislai Art. XX.

LUDOVICUS II. vico imperante fuit, A) quam hic adumbrare oportebat, ut quibus illa gradibus in ruinam impulſa fuerit, clarius cognoſceretur.

Quando ſciſſa religionis unitas?

IV. Per idem tempus magno Hungariæ damno erupit fatale illud Germaniæ ſchisma, quo tot populi facta a vetere Romano-Catholica fide ſeceſſione, in varias partes abiere. Hujus auctor fuit Martinus Lutherus ex Ordine D. Auguſtini, hæc autem occaſio: Leo X. Pontifex de Hungariæ, & totius Chriſtianitatis ſalute ſollicitus; in eo elaborabat; ut reſtituta inter

A) Nil exaggerate me ſcripſiſſe videbit ille, qui coævos Scriptores inſpexerit, cum alibi, tum vero ad Annum MDXXIII. in Annal. Reg. Hung. recitatos. Nec non Nicolaum Iſtvanfiam eorum temporum vicinum in rebus Ludovici. Lege ſi placet editas a Ludovico variis in conventibus conſtitutiones, ac nominatim Bachienſis An. MDXVIII. celebrati Articulum I. IV. V. VII. XXVIII. Conventus Budenſis A. MDXXII. Artic. XIX. LVII. Budenſis An. MDXXIII. Articulo XL. Rakoſienſis A. MDXXVI. Artic. I. II. III.

Digitized by Google

ter Chriſtianos Principes pace, ſtudia omnium in Turcas converterentur, communibusque viribus bellum adornaretur. Hunc in finem annuente Maximiliano Cæſare, indulgentias, ſive pœnarum temporalium, quæ poſt culpam in Sacramento Pœnitentiæ dimiſſam adhuc luendæ reſtant, relaxationes offerri juſſit iis omnibus, qui aut ipſi ad bellum ſacrum proficiſcerentur; aut illud ære oblato adjuvarent. Honorificam illam, ut rebatur, promulgandarum indulgentiarum provinciam non ſibi, ordinique ſuo, ſed PP. Dominicanis creditam ægre ferens Lutherus, cum una abuſus quoſdam, qui neque ex Eccleſiæ Catholicæ, neque ex Pontificis mente; ſed forte ſacrum illud æs colligentium vitio admiſſi erant, animadvertiſſet, arrepta inde diſputandi occaſione, primum in abuſus; tum vero in ipſas indulgentias conſtanti Eccleſiæ traditione roboratas paulo vehementius invehi cepit. Oppoſuere ſe mox ejus opinionibus viri docti, at nullo fructu; niſi ut is, quo aſſerta ſemel tueretur, alia mox Catholicæ Eccleſiæ dogmata aggrederetur.

LUDOVICUS II.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

Germania diſputabatur, nec Reſpublica Hungarica recte conſtituta fuit, Solimannus An. MDXX. nuncios Budam miſit, qui eum Selimo Patri in Bizantino Imperio ſucceſſiſſe referrent, ac una quærerent ex Ludovico, velletne, quas paucis ab hinc annis pepigerat, inducias prorogare. Hæc quidem vulgo ferebatur Legationis cauſa, reapſe autem in mandatis habebant Legati; ut quo loco res Hungaricæ, quæ ad bellum vires, & apparatus, quæ demum Hungarorum ſenſa, & conſilia eſſent, clam explorarent. Ludovicus auditis Legatis, quid Solimanno reſpondendum foret, a ſuis exquiſivit. Multi, quibus domeſtica vulnera probe fuere cognita, continuandas ſuadebant inducias: idem cenſebat conſultus a Ludovico Sigiſmundus Poloniæ Rex: alii e contra, qui amplitudinem Provinciarum, non item res ad bellum neceſſarias perpendebant, auctores Regi fuere, ut pacem negaret. Sic variantibus Procerum ſententiis, nihil omnino concluſum eſt, Legatique annum integrum in Hungaria detenti, reſponſum expectare

Digitized by Google

[redacted]

LUDOVICUS II.

pectaſſe juſſi ſunt. Eam moram, ſeu contemtum ſui, ſeu Hungarorum metum interpretatus Solimannus, bellum totis viribus apparavit, copiasque omnes in unum contraxit.

[redacted]

Quam ſiniſtre geſtum?

VI. Itaque recenſito ad Hadrianopolim exercitu exeunte vere An. MDXXI. digreſſus, viceſimis quintis caſtris Semendriam pervenit, Szabacſoque prius capto, Belgradum obſidione cinxit. Præerant arci Valentinus Tŏrŏk de Enning, & Franciſcus de Hedervara: qui prius turpi gloriæ æmulatione ducti Andream de Báthor virum militia clarum deſignatum a Rege loci gubernatorem ab aditu prohibuere, poſtea vero appropinguente jam Solimanno fœdo metu correpti, translata in alios præfectura, non ſine nominis ſui infamia ſtationem ſuam, cui juramento obſtricti erant, deſeruere. Ceterum Arx Belgradi natura, & arte utcunque ad tolerandam oppugnationem comparata erat; niſi quod pulveris nitrati, & in quotidiana militum ſtipendia pecuniæ penuria laboraret. Ea tamen fuit

præ-

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

præſidiariorum fortitudo; ut extracta in caſſum longiore tempore oppugnatione, Solimannus receptum cogitaret. Sed enim gloriam hanc corrupere Raſçii, qui æquali pene numero cum Hungaris præſidio inerant. Laborum enim, & vigiliarum tædio victi, necquidquam obſiſtentibus Hungaris, de deditione facienda cum Turcis agere ceperunt: quorum voluntate cognita Solimannus liberam omnibus addixit ex urbe migrationem; neque tamen fidem ille ſervavit. Poſtquam enim XXIX. Auguſti præſidiarii locum tradidiſſent, Hungari pene omnes Janicsarorum gladiis conciſi ſunt. a) Sic tum clavis illa Hungariæ in Turcarum manus venit, quæ, ſi Regiis mandatis mature obtemperatum fuiſſet, facile ſervari poterat. Ubi primum enim

a) Hanc in ſuos perfidiam, & crudelitatem ulturus Ludovicus, Legatos Solimanni, quos annum integrum retentos meminimus, pariter trucidari, eorumque corpora in lacum demergi juſſit: hæc quidem Talionis pœna fuit; ſed alieno plane rebus Hungaricis tempore exercita.

LUDOVICUS II.

ellius adventus Solimanni fama percrebuerat., Rex vulgato per omnes Provincias edicto, juxta ſancitas An. MDXVIII. in Conventu Bachienſi militandi leges, ſæpiusque inſtauratas, Antiſtites, Proceres, Nobilesque pro facultatum ratione militem conſcriptum, Bachiam juſſit adducere, quo ipſe pariter paucis comitantibus ad præſtitutum diem altero post venit, non ſine admiratione pene vacua reperit caſtra: ſiquidem nonnulli & fidei in Regem ſuum & caritatis quam patriæ lubeant debebant, obliti fuere, ut poſtquam ſtipendia pro expeditione acceperant inſuper habitis Capitaneorum mandatis domum redierint: multi nobilium contemptis Regiis imperiis citra cauſam domi remanſere; alii autem gravem hanc perfidiam novo crimine cumularunt, cum abſentium ac in caſtris cum Rege pro patria militantium Nobilium bona curiasque invaſere, direptisque eorum pecudibus aliiſve facultatibus, Colonos ſubditos vi adhibita abduxere, retractantesque variis ſuppliciis affecere. Horrenda ſane facinora, quæ poſteri vix fieri potuiſſe

ſe.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

ſcribere, armis inſtruere, Machinas bellicas comparare, naves in danubio conſtruere, bellum denique priſtino Hungarorum more apparare poſſet: An ſubſidium hoc extra ordinem, & præter morem promiſſum reapſe ærario Regio a ſingulis depenſum ſit, vadem agere nolim; illud certum Quæſtores & Dicatores, ut vocant, Regios magnam horum ſubſidiorum partem abliguriviſſe. a)

Quomodo inſtaurata res militaris?

VII. Interea crebri ex Illyrico appulere nuncii, qui Turcas e finitimis præſidiis in ... ditio-

a) Contributionis hujus mentio fit in Codice Juris patrii ante Comitiorum anni hujus articulos. *Contributio*, inquit Moſſoczius, *extraordinaria Regi ingens promiſſa eſt, de qua hic articulos adſcribere piguit.* Quos ſi adſcribere non piguiſſet, uberiorem forte iis temporibus lucem affudiſſet: fere enim e legibus rationem temporum intelligimus. Quantum ea tempeſtate, per quos, & qua fide exactum ſit a Civitate Leutſchovienſi, deſcribit Conradus Sperfogel in Annal. Scepuſienſibus ad An. MDXXII. quos contractos nuper edidit Cl. Carolus Wagner in Analectis Scepuſienſibus, Tom. II. pag. 141.

Digitized by Google

ditiones Hungaricas ſæpius incurrere, ingentes hominum, pecorumque prædas agere, Oſtrovitzam, Tinninium, aliaque Dalmatiæ loca partim dolo, partim vi expugnaſſe, denique atrociſſimum imminere bellum affirmabant: quæ cum veritate niterentur, Ludovici animum vehementer perculere. Quam ob rem evocatis iterum Budam ad diem D. Georgii An. MDXXIII. univerſis Regni Ordinibus, propoſita ante oculos diſcriminis magnitudine, auctor fuit; ut de juvando ærario & inſtauranda re militari ſerio cogitarent. Fecere illi imperata non ſegniter, legesque eam in rem opportuniſſimas pertulere, ac ita conſtitutum: ut Rex ſtipendiarias ſuas legiones, quam maximo poſſet numero, optimeque inſtructas in promptu haberet: Regni Principes, & potentiores Nobiles a decem ſeſſionibus ſingulos equites, peditesve darent; qui autem unam ſolummodo ſeſſionem poſſidebant, viritim militarent. Idem fere de Prælatis, ſacrorumque virorum domiciliis ordinatum fuit. Quo autem & celerius, & utilius militum delectus inſtitui poſſet,

LUDOVICUS II.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

debere. Itaque anno inſequente, qui MDXXIV. fuit, iterum Regni Ordines Peſtinum evocati ſunt, de inſtaurando per nova vectigalia ærario Regio, claſſeque Danubiali inſtituenda acturi. Verum mox principio omnem de utiliſſimis his rebus deliberationem intercepit Stephanus Verbőtzius, qui ut erat inſigni doctrina, & facundia præditus, habita acerrima concione, in Regis Conſiliarios & Barones Regni præcipue vero in Stephanum Bathorium Palatinum invectus, univerſos Nobiles ad transferenda Hatvaninum Comitia adduxit, ut illic communi conſilio omnium Regni Ordinum reformatio procuderetur, nec niſi hac prius peracta ad res ceteras gradus fieret. A) Equidem ſi unquam tum certe

A) In hoc Conventu Hatvanienſi inviſus Nobilitati Stephanus Báthorius Palatinatu dejectus, eique ſuffectus fuit Verbőtzius, geſſitque Magiſtratum anno integro non ſine jurium multorum perturbatione. Multa hic contra Procerum dignitatem, auctoritatemque perlata ſunt; ſed quæ Ludovicus in Comitiis An. MDXXV. Budæ habitis cuncta antique-

certe omnis ordo ſacer æque ac profanus, Barones non minus quam Nobiles Regni, imo intimi etiam Aulæ Regiæ adminiſtri reformatione opus habebant, ut adeo eorum, qui Verbőtzio adhæſerant, conſilium excuſari potuiſſet, ſi opportuniore tempore id agere inſtituiſſent: profecto ſeceſſione hac nihil Regno pernicioſius eſſe poterat. Nam cum maxime unitos in commune bonum eſſe oportebat Hungarorum animos, Verbőtzio auctore effectum; ut Nobilitas a Proceribus ſciſſa atrociſſimis odiis mutuo decertarit, nec unquam utriusque partis animi in concordiam potuerint coaleſcere.

LUDOVICUS II.

VIII. Ægrum ob hæc ſuorum diſſidia aliasque cauſas Ludovici animum non parum recreavit gemina de Turcis ſub idem fere tempus An. MDXXIV. relata victoria:

Actumne aliquid bene in Turcas?

quavit, Verbőtzio in exilium relegato, qui ſe tum ad Joannem Zápolyam recepit: cui Hatvanini Nobilitatem conciliare, viamque ad ſolium præparare nitebatur. Vide Nicolai Iſtvanfi Hiſtor. Lib. VIII. & Annales Reg. Hung. ad A. MDXXIV. & XXV.

Digitized by Google

LUDOVICUS II. ria: ac altera quidem Pauli Tomorii Colocenſis Archiepiſcopi, limitumque Præfecti A) auſpiciis obtenta fuit. Is pro munere ſuo hoſtium incurſionibus obicem poſiturus, Ferhatem Bosniæ Præfectum in Sirmienſi agro fœdum in modum omnia populantem magna vi aggreſſus, poſt diuturnam, acremque dimicationem, Ferhate cum Turcarum exercitum internecione delevit: pars gladiis Hungarorum; pars in Savum flumen præcipitata periit: pauci captivi facti. Illuſtris victoriæ nuncius Budam miſſus fuit Stephanus Bárdi, qui Ferhatis ab ſe interfecti caput, vexilla XL., & ſpolia magni pretii Ludovico præſentavit, in præmium fortitudinis torque, & calcaribus aureis, enſe item gemmis divite donatus, atque Auratos inter Equites co- [illegible] opta-

A) Paulus Tomori clarus olim miles, relictis caſtris D. Franciſci Seraphici habitum induit, pluribus deinde elapſis annis, invitus licet, ad Colocenſem Archiepiſcopatum promotus in ſumma illius temporis Ducum penuria militarem magiſtratum admittere neceſſe habuit. Vide Iſtvanfi Lib. VII.

Digitized by Google

optatus. A) Major longe triumphus erat, quem de Turcis egit Chriſtophorus de Frangepan Illyrici Banus multarum palmarum Heros. Jaitza Bosniæ caput arctiſſima premebatur obſidione ab Ufreſſo: laboranti arci ſuccurrit in tempore Frangepanus juſto cum exercitu, tantaque vi hoſtes profligavit; ut Ufreſſus relictis caſtris, machinis, omnique bellico apparatu, præcipiti fuga ſe ſubduxerit. Cladis magnitudinem indicant LX. ſigna militaria hoſti erepta, quæ una cum ſplendidiſſimo Ufreſſi tentorio, aliisque majoris momenti rebus Budam ad Ludovicum Regem miſſa ſunt. B) Is actis Deo victoriarum largitori gratiis Frangepanum *Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Defenſoris* titulo honeſtatum multis celebravit encomiis. Inſignes hi ſucceſſus, & veteris illius heroicæ Hungarorum fortitudinis rediviva ſpecimina, quæ ad conſimilia audenda ſtimulo eſſe debuerant, no-

LUDOVICUS II.

A) Annales Reg. ad An. MDXXIV. & Iſtvanfius Lib. cit.

B) Ibidem.

LUDOVICUS II.

væ ſocordiæ, & otio occaſionem præbuere: quaſi enim jam debellatus eſſet hoſtis, nilque amplius Solimannus tentare auderet contemtis ſaluberrimis, de ærario Regio, & Militiæ apparandæ ratione, quæ ſingulis prope annis ſed in caſſum in Comitiis innovabantur, legibus ad ſolita hilaria tota rurſum aulæ exemplo rediit Hungaria, ſicque in otio, bellique apparandi negligentia totum illud ad alteram usque Solimanni expeditionem tempus extractum fuit: niſi quod An. MDXXV. in Campo Rákos Comitia ſint habita, in quibus multa ſancita ſunt, ſed quæ effectu caruere.

Quæ ultimi belli Turcici cauſæ?

IX. Hæc cum aguntur in Hungaria, fatalis toti genti illuxit annus MDXXVI. quo Solimannus poſt apparatum aliquot annis bellum, vires omnes ad oppugnandam Hungariam intendere decrevit, nulla quidem provocatus injuria, verum ſola victoriæ ſpe animatus. Videbat is de proſpero ſucceſſu minime ſibi dubitandum eſſe, quod deteriore nunquam erant res Hungaricæ loco. Nam præter exiguum, qui limites

mites

Digitized by Google

mites cuſtodiebat, militem, & cohortem Prætorianam, nullum alium toto Regno adeſſe ſciebat: novorum autem Tyronum ſupplementa non magnopere pertimeſcebat; quod diſſidentibus ab ſe invicem, & a Nobilitate Proceribus, non exiſtimaret exiguo illo tempore, juſtum conflari poſſe exercitum: &, ſi maximo etiam confluerent numero, homines diſciplinæ militaris inexpertos minime ſibi diu reſiſtere poſſe putavit. Huc accedebat malum longe graviſſimum, quod emortuis illis Heroibus, qui in Mathiæ Corvini caſtris militiæ rudimenta poſuerant, vix quisquam erat, qui Belliducis munus cum laude ſuſtinere poſſet: non Joannes de Zápolya, qui ſolo fere bello ruſtico inclaruerat, nec quidquam glorioſe unquam cum Turcis geſſerat: non Tomorius, qui tametſi profanam olim militiam ſecutus fuerat, nunquam tamen exercitum duxerat: non Stephanus de Báthor Palatinus, quod is non tam ob virtutem bellicam, quam generis antiquitatem ſummum illum, non minus Sago, quam Togæ inclitis viris debitum Magiſtratum, con-

ſecu-

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

ſecutus ſit, atque una toti Equeſtri Ordini admodum inviſus eſſet. Aç reapſe unus erat Chriſtophorus de Frangepan, A) qui exercitui præfici poterat; ſed is haud ita pridem a Ludovico Rege, ob inurbane tractatum Archiepiſcopum Strigonienſem Ladiſlaum Szalkanum, cuſtodiæ ad tempus datus, adeo acerbe eam pœnam tulit; ut aula Budenſi valere juſſa, ad Ferdinandi Auſtriæ Archiducis partes, & obſequium ſe receperit. Denique non parum & illud Solimanni ſpem erigebat, quod Germania religionis diſſidiis flagrante, nil inde ſuppetiarum Ludovicus expectandum haberet. B) Hæ igitur accelerandi belli Hungarici Soli-

A) Maxima id temporis erat Frangepani exiſtimatio, ut cui Maximilianus Imperator bello Veneto ſupremum in copias Germanicas imperium credere non dubitarit, eodemque Duce bellum illud feliciter confecerit. Viri hujus res geſtas lege apud Iſtvanſium Lib. VII.

B) De miſero tum Hungariæ ſtatu, & cauſis, quæ Solimannum ad bellum invitabant, conſule Sambucum in Appendice, Brodericum, Brutum, Iſtvanſium, & Annal. Reg. Hung.

Digitized by Google

Solimanno fuere cauſæ: ad quod ut expeditior eſſet, cum vicinis populis omnibus in plures annos provide ſane inducias pepigit, nominatim cum Polonis, & Venetis, quo ſic tota belli tempeſtas in Hungaros, ſociis deſtitutos effunderetur.

LUDOVICUS II.

X. Conſtituto hunc in modum Bizantii bello, crebri adſunt a finitimis & exploratoribus nuncii, Orientem omnem in Hungariam armari, bellum non amplius evitari poſſe. Riſu hæc principio a multis accepta ſunt, ſive falſum putarent rumorem, ac de induſtria ſparſum, ſeu potentiſſimi hoſtis vires contemnerent: Quin etſi neminem latere poterat peſſimus Reipublicæ ſtatus, non defuere tamen ex potentioribus qui gloriari auderent, *ſolis annulis, quos haberent geſtarentque, potentiam Turcarum ſe obtrituros*: hac cum eſſent confidentia Hungari, non mirum eſt, in tanta extremi diſcriminis vicinitate, nondum eos e ſopore ſuo excitatos fuiſſe. Mutuis omnia conflagrabant odiis: continuatæ rapinæ, debiliorumque oppreſſiones. Budæ

Qui in id apparatus Hungarorum?

Sede

Digitized by Google

[redacted]
LUDOVICUS II.

Sede Regia ante ipſos Regis oculos, ſummi quique viri, ex æmulatione ad turpes usque rixas prolapſi ſunt: multi autem comeſſationibus, hilariis, omnisque generis animi oblectamentis vacabant: ut adeo non nemo ex Ludovici Regis aulicis Sigismundo Baroni Herberſteinio Ferdinandi Archiducis apud Aulam Budenſem Oratori dixerit: *ſe nunquam legiſſe vel audiviſſe, Regnum ullum: quod majore cum gaudio periret atque Hungaria.* Hæc tum, cum exitium imminebat, fuit Hungariæ facies. At poſtquam Paulus Tomori per occultos homines de conſiliis Solimanni edoctus, vera eſſe; quæ narrabantur, Regi demonſtraſſet, novique in dies id ipſum affirmarent nuncii; Ludovicus ſerio jam curas ſuas ad ruenti patriæ ſuccurendum convertit. Igitur in diem XXIV. Aprilis Comitia Peſtinum convocata ſunt. Ubi poſtquam Rex vicinæ tempeſtatis magnitudinem paucis expoſuiſſet, orabat majorem in modum; ut de modo eam propulſandi ſerio deliberarent. Nemo fuit, qui non graviſſimum univerſæ Patriæ diſcrimen imminere

re

LUDOVICUS II.

re ſentiret, promptiſſimoque ad eam juvandam ferretur ſtudio. Quam ob rem militiæ faciendæ ratio pro periculi ratione communi conſenſione deſcripta fuit, decretumque; ut Prælati, Barones, Nobilesque omnes imprimis viritim ipſi arma capiant, tum vero equites, & pedites bene comparatos, quam maximo poſſent numero, ad caſtra Regis adducant; præterea ruricolæ armis ſemet inſtruant; ut accepto, ſi res poſceret, mandato aut omnes, aut quinta eorum pars poſſit inſurgere. Nequid autem in quotidiana militum ſtipendia, ceterumque apparatum æris deeſſet, oſtiarium floreni Hungarici tributum continuo colligi juſſum: Civitatibus Regiis graviſſima ſane vectigalia imperata, neque bonis Eccleſiarum parcitum; denique Prælati, Barones, Nobiles dimidiam iterum redituum ſuorum partem in ſtipendia belli conferre juſſi. A) Regi vero majorem in modum commendatum; ut quam peritiſſimos

mos

A) Sperfogel in Annalibus apud Cl. Wagner Analect. Scepuſ. Tom. II. pag. 146.

LUDOVICUS II.

mos rei militaris Duces ſibi deligerent, qui conſilio; manuque illi præſto eſſent. Denique prope Tolnam locus caſtris deſignatus, quo omnes & ſinguli niſi ad diem ſecundam Julii ſe ſiſterent, caput & fortunas amitterent. A) Dimiſſis Regni Ordinibus, Rex inutili plane conſilio ad omnes fere Europæ Reges, & Principes Legatos expedivit, pecuniæ & militum ſubſidia corrogaturos. B) A ceteris nil impetratum; ſolus Pontifex Clemens VII. Hungariæ periculo commotus, præter L. aureorum millia tempori ſubmiſſa, poteſtatem inſuper fecerat, e ſacris Eccleſiarum theſauris, vaſisque aureis, & argenteis par-

A) Vide Comitiorum An. MDXXVI. Decreta.

B) Scriptores exteri, ac nominatim Tubero Lib. XI. Commentar. magnopere id carpit in Ludovico, quod tot florentiſſimorum Regnorum Dominus, quoties vel leviſſimus illi metus erat, ad Papam, Cæſarem, Venetos, alioſque Reges, & Principes pecuniæ cauſa confugere non erubuerit, quæ tam facile domi haberi poterat, ſi modo rebus ſuis utendi rationem noviſſet, juxta illud: *Dii tibi divitias dederint, artemque fruendi!*

Digitized by Google

partem in belli uſus derivandi: unde immanis ferme pecuniæ vis collecta fuit. A) Miſſa deinde ad Bohemos mandata; ut quam maximis cum copiis adeſſe feſtinarent. Ad Joannem de Zapolya Tranſilvaniæ Vayvodam eodem fere tempore gemini expediti nuncii, quorum alter per Valachiam in ditiones Turcicas eum irrumpere, alter Tolnam properare jubebat: quæ res fortaſſe ejus adventum retardavit. Rogatus denique fuit Frangepanus, ut poſita offenſione, numeroſum militem in Illyrico quam celerrime conſcriberet, Tolnamque adduceret. Oblatum illi pariter fuit, uti & Comiti a Salm ſupremum in copias Hun- LUDOVICUS II.

A) Sacro Theſauro per Hungariam colligendo præfectus erat Ladiſlaus Macedonius Sirmienſis Epiſcopus; qui tanta diligentia munere ſuo functus eſt; ut neque Divorum Lypſanis, neque Martyrum ſepulcris parceret: præterea Hungariæ Prælati in ultima hac neceſſitate omnes ſuas opes in ærarium Regium intulere; ut adeo æris penuria minime laboratum fuerit, ſed potius temporis anguſtiis, quibus tantum bellum apparari non poterat. Vide Iſtvanf. Lib. VIII. & Annal. Reg. ad an. MDXXVI.

LUDOVICUS II.

Hungaricas imperium; verum uterque plenum periculi honorem a ſe amolitus fuit, ut adeo totam rei ſummam Paulo Tomorio Colocenſi, & Georgio Zapolya Joannis fratri quamquam invitis credi oportuerit. Sic dum apparando bello, occupatur Hungaria, Solimannus cum ducentis & amplius armatorum millibus Bizantio egreſſus magnis itineribus in Chriſtianorum perniciem properabat exeunte vere A. MDXXVI.

Quomodo effectui dati?

XI. Ut primum autem Turcas appropinquare Budam nunciatum fuit, Rex ſine mora Báthorium Palatinum Petrovaradinum dimiſit, ut contractis in unum finitimorum Comitatuum copiis, hoſtem Danubii; aut ſi per Sclavoniam iter proſequeretur, Dravi tranſitu prohiberet, atque tam diu moraretur; dum univerſi Regni vires eo confluerent. At quia nemo ſub ſigna Palatini hominis nobilitati, exoſiſſimi convenire voluit, ille re infecta Budam redire, arcemque Petrovaradini, haud ſatis ad defenſionem comparatam Solimanno relinquere coactus fuit. Munimenti ſane

quam

quam opportuniſſimi jactura cum diſcrimen paulo vehementius auctum eſſe intelligeret Ludovicus, & quia de immenſo Turcarum numero edoctus eſſet, miſſis ad omnes Proceres, & Comitatus nunciis, juſſit veteri Hungarorum more per ſingulas poſſeſſiones, & domos cruentum circumferri gladium, omneſque viritim ad arma exciri, Tolnam properaturos. a) Nil tamen ferali hoc ritu, qui gentilibus adhuc Hungaris ultimo in diſcrimine ſacer erat, profectum fuit: incertum enim, quo auctore rumor univerſam pervaſerat Hungariam; Solimannum, etſi proximus jam erat, nihil eo anno hoſtile tentaturum: cui rumori plus fidei habitum, quam iteratis Regiis imperiis, mirum ſane videri poteſt. Jam præſtitutus dies aderat, quo armatam Nobilitatem Tolnam convenire oportebat; neque tamen ullus, ſeu Budæ, ſeu Tolnenſibus in campis miles apparuit. Intellexit mox Ludovicus, niſi ipſe exemplo præiret, minime dicto audientes futuros

LUDOVICUS II.

a) Annal. Reg. Hung. ibid.

LUDOVICUS II.

ceteros. Itaque XXIV. Julii cum tribus millibus, quæ Reginæ potiſſimum, & Strigonienſis Archiepiſcopi ſtipendio conducta erant, Buda diſceſſit, lentoque progreſſus itinere, auctis jam aliquantum per adductas a Prælatis, & nonnullis Baronibus cohortes copiis, Tolnam denique incolumis appulit. Hinc rurſus Eſſekinum præire juſſus Palatinus hoſti in Dravo flumine trajiciendo moram injecturus, rurſumque a nobilitate exploſus fuit, quod negarent ſe alterius, quam Regis ſui imperiis militaturos. Id ubi Ludovico renunciatum eſt, vehementius excanduit mitiſſimus cetera Princeps, paucisque in Senatu conqueſtus, ſe quoque caput ſuum periculis devoturum edixit. a) Quod & poſtea non ſine

uni-

a) Juvat hic Ludovici verba recitare in eo Senatu dicta: „Video, *inquiebat*, ego unumquemque „capite meo & excuſationem, & ſalutem capiti ſuo „quærere, Ego perſonam, & caput meum ideo in „hæc pericula adduxi: ut illud pro hujus Regni, „& veſtra ſalute omnis fortunæ diſcrimini objice„rem. Nequis igitur ſit, qui poſſit excuſationem

„ali-

Digitized by Google

univerſi Regni pernicie præſtitit. Solimannus autem ſuperato, nemine reſiſtente, Dravo flumine, infinitam multitudinem ſuam in latiſſimis Hungariæ campis explicuit.

LUDOVICUS II.

XII. Gemina ad id tempus Hungarorum exercitus caſtra habuit; altera quidem ad Mohácſium Tomorius cum Nobilibus tenebat: altera prope Tolnam cum Antiſtitibus Regnique Baronibus Rex occupabat. Inter utraque grandis tum exorta erat diſceptatio: Proceres periculi magnitudine commoti, nobilitatem ad ſe, revocabant: hæc rurſus Regem crebris nunciis, ut ſua in caſtra veniret, urgebat. Moleſtiſſimis iis diſſidiis, ut ſe expediret Rex, accitis militiæ Ducibus præcipuis Senatum habuit; ut communi conſilio, quid agendum eſſet, decerneretur. Hic Rex prior verba fecit,

Quantus pugnandi ardor?

„ aliquam ſuæ ignaviæ capiti meo prætendere, neve
„ poſſit mihi aliquid imputari, ibo ego Deo optimo
„ bene juvante cras vobiſcum in perſona eo, quo
„ alii ſine me ire nolunt. „ Stephanus Brodericus
in deſcriptione cladis Mohács.

LUDOVICUS II.

cum Prælatis; inde Stephano de Báthor Palatino cum Proceribus conſtitit, cui cuſtodiæ cauſa mille & amplius Cataphracti equites additi. Denique prælium in XXIX. Auguſti diem, qui decollati D. Joannis Baptiſtæ memoria ſolennis], eſt decretum. a)

Quam improſpere pugnatum ad Mohács?

XIII. Ut illuxit, quem mox diximus, dies, ſigno dato cuncti, ut ante a Ducibus conſtitutum fuit, ſuos tenuere ordines: mox vexillum majus iconem Divæ Virginis Deiparæ] Magnæ Hungarorum Dominæ referens ſuſtulit Joannes Drágfi Judex Curiæ; cui ne de fuga cogitaret, pro more detracta fuere calcaria. Rex cum Palatino ſingulos ordines obequitans, ut Hungaros, Heroibusque ſe prognatos, atque in ſuis dextris ſalutem gentis univerſæ poſitam meminiſſent, paucis cohortatus, incredibilem omnibus ardorem inſpiravit; cui utinam pares affuiſſent vires! Solimannus explicatam Hungarorum aciem

con-

a) Brodericus loco cit.

Digitized by Google

conſpicatus, diu ambiguus hæſit; quod, cum pridie nonnullæ copiarum in caſtra Hungarica appuliſſent, de numero earum incertus eſſet; ut adeo majorem diei partem Hungari in armis ſtantes exegerint. Dum itaque feſſi pene de prælio deſperarent, ſole jam in veſperum inclinante, ex adverſo colle multitudo Turcarum ſeſe demittere viſa. Tum enim vero Regis capiti galea impoſita: ad quam repente toto vultu, quaſi mali præſagus, impalluit. Signo dein dato, SS. JEſu nomine invocato, viriliter cum hoſte concurrit prima acies: fit certamen multo acrius, quam pro militum numero; plures, ex hoſtibus, quam e noſtris cadunt: donec Hungaris fortiſſime pugnantibus hoſtis retrocedere, ſive impreſſione coactus; ſive ut propius ad tormenta in inſidiis collocata noſtros pertraharet. Eo ſucceſſu, quaſi jam triumphatum eſſet, animatus Rex Ludovicus, e ſua egreſſus ſtatione cedentibus inſtare jubet tanta vi, & celeritate; ut prope jam a Solimanno abeſſent Hungari, multique

LUDOVICUS II.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

ex ejus corporis cuſtodibus cæderentur. Quin eo demum proceſſum fuit; ut decem vix paſſibus a machinis bellicis diſtarent, facileque iis potiri potuiſſent, ſi modo exiguo adhuc tempore impreſſionem continuaſſent. Verum ubi tormenta omnia majore fragore, quam damno ſoluta fuere, aliquantum ala dextra nutare cepit: inſtaurata quidem ſemel, ac iterum pugna; at cum denſiſſimum tormentorum fumum, qui viſum plane eripiebat, diutius ferre non poſſent, ſimul terrore quodam correpti, præcipue poſtquam caſtra ſua a Turcis durante pugna eo miſſis direpta audiere, fugam ad unum omnes, qua cuique proximum erat, capeſſunt, victoriamque pene certam ſibi e manibus eripi ſinunt, poſt fortiſſimam ſemi alterius horæ dimicationem. Solimannus ſive inſidias veritus, ſive quod feſſus eſſet miles, ſuos ab inſequendo ad ſeram usque noctem prohibuit: id quod multis ſaluti fuit. Cecidere eo prælio, ac in fuga poſtea XXII. virorum millia, camposque Mohácſienſes ſanguine ſuo

ſuo nobilitarunt. a) Hos inter VII. Antiſtites, majores Regni Barones, & Magnates LUDOVICUS II.

tes

a) Qui pro Patria glorioſe dimicantes occubuere, digni ſunt, quorum nomina hic pariter exſtent. Cecidere igitur Ladislaus Szalkanus Strigon. Paulus Tomori Bellidux Colocenſis Archiepiſcopi. Franciſcus de Perény Varad. Philippus More Quinque-Eccleſ. Blaſius Paxi Jaurinenſ. Franciſcus Chaholi Chanad. Georgius de Palina Bosnen. Antiſtites. Ex Baronibus: Georgius de Zápolya Comes Scepuſienſis, alter Bellidux. Joannes Drágfi Judex Curiæ. Franciſcus Orſzág de Guth Cubiculariorum. Petrus Korlátkö, & Andreas Trepka Janitorum. Simon Horvath Pincernarum Reg. Magiſtri. Thomas Zéchi. Gabriel de Perény. Ambroſius Sárkány. Antonius Palótzi. Mathias Chethini. Mathias Comes de Frangepanibus. Sigismundus Bánffi, Franciſcus Hampo, Joannes de Battyán. Ex Nobilioribus & Potioribus Regni, Franciſcus Balaſſa, Nicolaus Tartzay, Joannes Paxi, Joannes Iſtvanffi, Emericus Várdai, Michael Podmanitzky, Georgius Orlovchics Capitaneus Segnienſis, Stephanus Atzél Caſtellanus Poſonienſis, Sigismundus Pogán, Joannes Tornali, Joannes & Stephanus Kálnai, Nicolaus Forgáts, Petrus Korogi ultimus ejus familiæ, quæ olim D. Gerardo Chanadienſi Epiſc. necem intulerat. Præter Hungaros multi e Bohemis, Moravis,

LUDOVICUS II.

Siculas Legiones non adduxit, verum etiam Hungaros e remotiſſimis locis Tolnam properantes, in quos forte inciderat, ſibi auctoratos, quo minus ad caſtra Regia pervenirent, impedierit. Id nempe quærebat, ut ſiquid ſiniſtri Regio exercitui accidiſſet, ipſe poſtea novis adductis copiis reſtituta, ut ſperabat, re, novam ſibi gloriam meritaque compararet, ſicque viam ad ſolium, quo aſpirabat, communiret. Hæc quorundam eſt opinio: ceterum Joannes poſtea non una vice juratus affirmabat, nil ab ſe dolo, & proditione actum fuiſſe; ſed, ut peſſime tum conſtituta erat aula Hungarica, contraria ſibi identidem veniſſe mandata; jam enim per Valachiam in ditiones Turcicas irrumpere, jam in caſtra Tolnenſia properare jubebatur; ut ad extremum, quid potiſſimum conſilii capiendum eſſet, ignoraret. Quamquam in eo non leviter ab eo peccatum fuit, quod cum XL. millium virorum numero ſtipatus eſſet, ſævientis poſt cladem hanc hoſtis, progreſſionibus nullam injicere moram tentaverit, malueritque patriæ ruinam ſpecta-

re

Digitized by Google

æc otioſus, quam a Regni ambiendi conſiliis diſcedere. A)

LUDOVICUS II.

Quam funeſtus Regis interitus?

XV. Victima igitur cecidit Ludovicus, ac fato ſane quam miſerando. Inclinante acie ſuis fugientibus, & ipſe cum paucis Quinque-Eccleſias iter arripuit, ac cum per paludem prope vicum Czelie dictum id adverſam ripam eluctari nititur, reſupinato equo in limum alte deturbatus, & armorum, & equi ſe ſe liberare conantis pondere oppreſſus, nemine opem ferente, in aqua, quæ vix ſex palmos ſuperaſſe fertur, miſerrimum in modum interiit. Ejus corpus Mariæ Reginæ juſſu poſt duos menſes conquiſitum, ac Udalrico Czetricio nobili Sileſio, aulæque familiari indicium faciente repertum, poſtquam a ſordibus ablu-

A) Crimen proditi Regis Joanni de Zápolya tribuunt Brutus in Hiſt. MS. Herberſteinius in Comment. Rer. Moſcov. pag. 148. Ferdinandus I. Rex in diplomate An. MDXXVII. Hungariæ Regni Ordines in Comitiis anno mox laudato celebratis, aliique Scriptores, quos vide in Annal. Reg. Hung. ad An. MDXXVI.

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

ablutum fuit, omnis omnino corruptionis expers apparuit. Inde Albam Regiam deportatum, in ædibus Præpoſiti aliquantum conquievit. A) Quo cum poſtea coronationis cauſa menſe Novembri ejusdem anni MDXXVI. adveniſſet Joannes de Zápolya, ſolennes prius defuncto Regi, Maria etiam Regina, ut quidam volunt, præſente exequias haberi, corpusque majorum tumulis inferri curavit B) Erat Ludovicus, ut ex iis, quæ meminimus, licet colligere, indolis optimæ animique Regio faſtigio prorſus digniſſimi; ſed quod neque ſeriis rebus, aut laboribus ullis á juventute exercitus; neque ad eam, quæ Reges decet gravitatem formatus; nec denique jam Rex imperare doctus eſſet; perturbatis adeo Reipublicæ temporibus regimini tam vaſto impar fuit: ac cum nec ab ætate, nec a moribus, neque ab opibus, ac militiæ robore quidquam ei accederet auctoritatis, plerisque

A) Litteras Udalrici Czetricii de modo reperti corporis legere potes ibidem.

B) Ibidem.

Digitized by Google

riſque deſpicatui erat; a nemine autem aperte timebatur. Neque vacabant culpa aulæ Adminiſtri, qui facilitate ejus indolis abuſi, ut libebat, flectebant juvenem, id unum caventes, ne aliquando cum dignitate poteſtatem arriperet. Atque ſic languente capite fœdiſſimos in univerſum corpus morbos irrumpere neceſſe fuit; qui fatalem illam poſtea cladem conſcivere.

LUDOVICUS II.

XIV. Hæc autem clades per ſe ſatis acerba & lethalis Hungariæ fieri poterat, niſi funeſtiſſimæ mox calamitates eam in immenſum auxiſſent. Solimannus revocatis, quas poſt pugnam in ſuperiorem partem dimiſerat, copiis Budam verſus contendit, facileque Urbe incolis pene vacua (Regina enim Maria cum civibus ablatis Theſauris, Poſonium diffugere) potitus fuit. Quatuordecim hic exegit dies. Arcem Regiam luſtrans, Regum Hungariæ magnificentiam admiratus, fato miſerrimi Regis Ludovici indoluiſſe viſus fuit. Interea temporis prædatoria ejus agmina vaſtationem ad Balatonem, & Jaurinum usque protulerunt. De-

Quæ mala cladem conſecuta?

Digitized by Google

LUDOVICUS II.

ſerta deinde citra maleficium Buda, facto ad Peſtum ponte, Danubium transgreſſus, pulcherrimam Tibiſcum inter & Danubium Regionem flamma ferroque barbarum in modum evaſtans, Belgradum reduxit exercitum; inde vero multis mortalium millibus ex Hungaria in ſervitutem abductis, & divite præda onuſtus Bizantium incolumis pervenit. Sunt qui tercentum millia hac expeditione ſive cæſa, ſive in captivitatem abrepta perhibeant; quo numero quantam in Regnum induci oportuerit ſolitudinem, facile quisque perſpiciet. Illud ſane mirum videri poteſt, Solimannum neque Budam, neque alias civitates arcesque, quas pene vacuas ubique reperit, præſidio communiviſſe, ut Hungariæ poſſeſſionem ſibi firmaret: ſed homo tam illuſtri victoria, & rebus ſecundis pene ſibi ereptus, nec de futuris ſollicitus, fortuna ſua uti neſciebat; exploraſſe tamen Regionis poſitum ex uſu ei fuit poſtea, cum ſpecie Joannis tutandi, Ottomanicum in Hungaria Dominatum fundaturus rediverat.

GE-

Digitized by Google

TABULA VIII.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI II.

Emericus Deák de Zápolya.

- Emericus de Zápolya Reg. Hung. Palatinus ✠ 1489.
- Stephanus de Zápolya Reg. Hung. Palat. ✠ 1499. Con. Hedvigis Dux Teſchinenſis ✠ 1515.
  - Georgius de Zápolya ad Mohács ✠ 1526.
  - Joannes de Zápolya Rex Hung. ✠ 1540. Con. Iſabella Sigism. Pol. Reg. filia ✠ 1560.
    - Joannes Sigismundus Princeps Tranſilvaniæ ✠ 1561.
  - Barbara ✠ 1515. Sigismundus Rex Poloniæ.

JOANNES
REX XXXVIII.
A. C. MDXXVI.

JOANNES

Quibus viis Regnum adeptus?

I.

JOannes de Zapolya Comes Scepuſienſis Tranſilvaniæ Vaivoda ſub idem fere tempus, quo clades ad Mohácſium accepta fuit, cum XL. ſuorum millibus Szegedinum pervenerat; juſſisque ſubſequi copiis, ipſe citatiſſimo curſu ad Ludovicum properabat. At ubi infeliciter jam pugnatum, Regemque periiſſe e profugis intellexiſſet, ad ſuos reverſus, militem in caſtris continuit, continuoque cum familiaribus de modo Regnum ad ſe attrahendi agere cepit. Viſum eſt plerisque, nil per vim tentandum, in eoque ſolum elaborandum, ut illis, qui Ferdinando adhæſuri timebantur, aliqua ratione conciliatis, communi gentis ſuffragatione dignitatem obtineret. Non difficile id futurum apparebat, eo quod Ferdinandus procul ab Hungaria in comitiis imperialibus aberat, nec

eas

Digitized by Google

JOANNES

eas habere videbatur vires, ut jura ſua armis perſequi auderet. A) Itaque ubi primum Solimannum turbis in Aſia enatis domum revocatum Regno exceſſiſſe comperit Joannes, Mariam Reginam viduam admonuit, ut pro novo Rege eligendo comitia ad campos Rákoſienſes prope Peſtum convocaret. Illa Hungariam Ferdinando fratri ſuo ſervare certa, litteras ſine mora dedit, quibus nulla facta Regis eligendi mentione, Regni Ordines non Peſtum, ut volebat Joannes, ſed Comaromium convenire juſſit ad feſtum D. Catharinæ V. M. Idem pro Palatini munere præſtitit Stephanus Báthorius. B) Ea litterarum formà

A) Imo vero ea fuit moderatione Ferdinandus, ut nec ambierit Regnum, nec illud ingreſſurus fuiſſet, niſi Poſonienſibus Comitiis poſtea ſe electum intellexiſſet, ut ipſe Ordinibus Regni Budæ Anno ſequente congregatis confeſſus fuit. Vide Urſinum Velium Lib. II. pag. 28.

B) Litteræ datæ ſunt die IX. Octobris eodem Anno MDXXVI. & habentur in Annal. Reg. Hung. ad hunc Annum, ex Hung. Diplom. temp. Mathiæ Regis Cl. Kaprinai recitatæ.

JOANNES offenſus Joannes; & tempus comitiis deſi-
gnatum intercurſus, Tomorium, quo
exercitum reduxerit, Regni Ordines evo-
cavit. Aderant hi frequentes partim ſpon-
te ſua, partim metu Vaivodanæ factionis
eo acciti. Priusquam de Rege creando
deliberatio haberetur, potentiores quosque
munerum largitione & honorum pollicita-
tione a) ſibi conciliare ſtuduit; equeſtris
enim Ordo totus jam inde ab Hatvanienſi
conventu ab ejus partibus ſtabat. Prima
autem illi cura fuit, ut Petrum de Perény
Palatini Emerici filium S. Coronæ Cuſto-
dem, qui pignus illud ſacrum apud ſe aſ-
ſervabat, ſuum faceret: id quod hac ratio-
ne perfecit. Antonio de Palócz ſine ſobo-
le ad Mohács cæſo, Sáros Patakinenſis Arx
cum ditione ampliſſima ad fiſcum jure ve-
teri devolvenda erat: hanc itaque Perényio
una cum Vaivodatu Tranſilvaniæ offert; ſi
pro

a) Hac tempeſtate Joannes, cum opes ſuas largitionibus faciendis impares ſentiret, vacantes a plurimorum Præſulum ad Mohács cæde, Epiſcopatus profanis hominibus occupandos tradidit.

JOANNES

pro ſe ſuffragium dare, Regnique diadema tradere in animum induxerat; ceſſit ille tum pingui captus illicio, exemploque & auctoritate ſua, quam plurimos Joanni faventes reddidit. Quapropter Stephano Verbóczio in pleno Regni Ordinum Senatu perorante, facile impetratum fuit, ut nemine repugnante, Joannes Rex ſalutaretur, comitiaque pro habenda inauguratione in pridie nonas Novembris A. MDXXVI. Albam Regiam indicerentur.

Quando inauguratus?

II. Favebant hactenus Joanni omnia, quod Ferdinandus abſens erat, neque in Hungariam venire maturabat, licet crebris a Regina ſorore & Palatino invitaretur nunciis & litteris: quin etiam ſatis ambigua dabat reſponſa, ut adeo ii etiam, qui ejus partibus ſtudebant, quid ſibi agendum eſſet; non intelligerent, deſperatoque illius adventu, ad Joannem, & præſentem, & potentem ſecederent; ne ſi repugnarent, caput & fortunas in diſcrimen conjicerent. Quapropter Joannes recepta in fidem Buda, Regni Metropoli, cum ad præſtitutum

Digitized by Google

JOANNES

diem Albam Regiam appulisset, præter incredibilem Nobilium numerum, pleroſque ex optimatibus præſentes offendit. Ante omnia voluit ſolemnes defuncto Regi Ludovico exequias haberi, corpuſque ad eum diem in Præpoſiti domo aſſervatum Majorum tumulo inferri. A funeris pompa die altero ritu ſolito præeuntibus Regni Baronibus itum in Principem D. Virginis Baſilicam: interrogati illic pro more per Præconem; Palatinus enim aberat, Regni Ordines: utrum Joannem Regem vellent; cum per milites ſublato prius clamore, cuncti placere ſibi reſpondiſſent, Paulus Vardai, quem paulo prius Strigonienſem Archiepiſcopum nominaverat, S. diadema a Perényio ſibi traditum Joannis capiti impoſuit. Atque ex eo die A) ille Regia [illegible] appel-

A) Peracta fuit inauguratio die XI. Novembr. An. MDXXVI. Itaque ab hoc anno Regnum Joannis de Zápolya ordior: quamvis enim Palatinus cum altera Procerum parte & electioni, & coronationi huic intercesserint, tamen Ferdinandus ipſe com-

appellatione & poteſtate uti cepit, exteri pariter Principes illi Regios titulos tribuere; licet Ferdinandus pluribus annis, ut poſtea videbimus, id honoris Joanni denegarit.

Quibus artibus ſe communivit?

III. Ceterum ille votorum ſuorum metam aſſecutus, in id incumbere cepit, ut Regnum, quod per Ferdinandi abſentiam, tam facili negotio obtinuerat, omni ex parte ſibi affirmaret. Igitur datis litteris, univerſas Regni Provincias, & urbes de electione, moxque ſecuta coronatione ſua edocuit, ac una iis comitiis interceſſit, quæ Palatinus cum oppoſitæ partis Proceribus ſub idem tempus Poſonii celebraverat, monens Regni Ordines, ut quoniam ipſe coronatus jam erat, omiſſa novi Regis accerſendi cura, domum Poſonio diſcederent. Denique miſſis Oratoribus Chriſtia-

compoſita An. MDXXXVIII. die VI. Calendas Martii pace, & titulos Regios, & dimidiam Hungariæ portionem Joanni reliquit. Ut videre eſt in Annal. Reg. Hung. ad an. cit.

JOANNES ſtianos Principes de obtenta apud Hungaros Regia dignitate certiores fecit, praecipue Sigiſmundum Poloniæ, & Franciſcum Galliarum Reges; ac hic quidem, quod tum maxime ab Auſtriacis diſſideret, vehementer eapropter graviſus fuit, hortatusque inſuper Joannem, ut ne ullis partibus ſe ad cedendum Ferdinando Regnum induci pateretur. In eandem ſententiam ad Proceres Hungariæ ſcripſit Franciſcus orans, ne ſuis electum ſuffragiis Regem aliquando deſtituerent. Ut autem amicitiam ſuam opere etiam comprobaret, liberale ſane Joanni iis rerum temporumque rationibus egenti ſubſidium decrevit: in ſingulos nempe menſes XXX. millia coronatorum, A) quæ ſtatis temporibus Raguſæ

A) Coronatus ſpecies erat Monetæ aureæ Hiſpanicæ, atque uni floreno auri, ſive Ducato reſpondebat: quamvis metalli probitate aliquanto inferior eſſet. Conſule Bodinum de Republica Lib. VI. Cap. III. pag. 1075. & Covarruviam in veterum nummismatum collatione apud Renerum Budelium de Moneiis pag. 579.

Digitized by Google

gitæ aſſignata levaret. Sigiſmundus Poloniæ Rex, quanquam Ferdinando ob Matrem Auſtriacam propinquus erat, Joannis electionem ratam habuit, haud dubie affinitatis, quam ducta illius ſorore Barbara contraxerat, cauſa. Verum hæc Principum exterorum ſtudia non tanti erant, ut rebus Joannis firmitatem ſpondere poſſent: Bathorius Palatinus, vetus Vaivodanæ factionis hoſtis, idemque Auſtriacæ domus ſtudioſiſſimus, nil intentatum domi relinquebat, ut eos etiam, qui Joanni faverant, ad Ferdinandi partes traduceret, adeoque firmus in propoſito fuit, ut neque ſpe, neque metu expugnari poſſet. Qamobrem Chriſtophorus Frangepanus Joanni majorem in modum auctor erat, ut armorum terrore per Hungariam ſparſo, adverſantes ſibi Proceres ad obſequium reduceret, tum vero totis viribus in Auſtriam milite tum vacuam irrumperet, ſicque Ferdinandum ad Hungariæ renunciandum pacemque ineundam adigeret: ne autem bello nervus deeſſet, in Comitiis Anno inſe-

quen-

JOANNES polya electio, deciſumque: neque hanc, neque inaugurationem legitime factam eſſe; eo quod Conventus Tokajenſis invito prorſus Palatino celebratus eſſet. Quapropter lex perlata: ut omnes intra quadrageſimum diem deſerto Joanne, ſacramentum fidei Ferdinando præſtarent. Porro toto hoc negotio etſi plurimum eluxerint Stephani de Báthor Palatini in Ferdinandum ſtudia; præcipuas tamen in comitiis partes egit Franciſcus de Réva, qui ut erat juris peritia, & eloquentia id temporis clariſſimus, difficultates omnes, quæ Ferdinandi electioni obſtabant, ingenio, prudentiaque ſua diſſolvit; dicendi autem vi omnium animos in vota ſua flexit, maximis eapropter a Ferdinando Rege & opibus, & honoribus excultus. Soluto conventu Poſonienſi, Ferdinandus Ratisbona interea reverſus, ubi, quid pro ſe conſtitutum eſſet, comperit, ad univerſos Regni Ordines litteras dedit, quibus collaudata clientum ſuorum fide & conſtantia, ceteros oblata clementiæ ſpe ad obſequium ſuum invitabat. At cum parum eo medio

pro-

JOANNES

profeciſſet, partim quia litteræ pluribus locis interceptæ ad omnium conſcientiam pervenire non poterant; A) partim vero, quia multi fortunas ſuas, quas in Joannis ditione tenebant, diſcrimini nollent objicere; ſuis negotium dedit, ut cum Zapolyianæ factionis primoribus clam agerent, eisdemque ſuo nomine & opes, & dignitates liberaliter pollicerentur. Præterea impetravit, ne iis, quos Joannes de Zapolya vacantibus Hungariæ Eccleſiis Epiſcopos præfecerat, confirmationem Papa impertiretur, niſi ad ſuas partes tranſirent: quæ occaſio poſtea fuit, ut in Eccleſiis paſtore ſuo carentibus, Lutheri Calvinique dogmata facilius diſſeminarentur. Atque his artibus non pauci a Joanne abjuncti ſunt, quos inter præcipuus fuit Petrus

de

A) Vide reſponſa Hungarorum Ferdinando in Comitiis Budenſibus data, apud Urſinum Velium de Bello Pannonico Lib. II. pag. 33. Conſule Sperfogelii Annales Scepuſ. apud Cl. Carolum Wagner Tom. II. pag. 149. & ſequentibus ubi deplorandum ejus & ſequentium annorum ſtatum deſcribit.

Digitized by Google

JOANNES de Perény Coronæ Cuſtos: cui cum Alexius de Thurzo Ferdinandi nomine Sároſpatakinenſis Arcis poſſeſſionem, & Tranſilvaniæ Vaivodatum confirmatum iri ſpopondiſſet, una cum ſacro diademate Ferdinando ſe adhæſurum fidem dedit.

Quo fructu tentata concordia?

V. Corona Regia æmulo erepta, & Hungarorum in ſe conſpiratione animatus Ferdinandus Auſtriacus, poſtquam adita Bohemici Regni poſſeſſione a) vires ſuas non mediocriter auxiſſet, bellum continuo in Joannem apparavit. Sed eas curas intercepit Sigismundus Rex Poloniæ, obtinuitque ab æmulis, ut omiſſo bello ad pacem adjicerent animum, ſibique illius conficiendæ negotium deferrent. Delectum colloquio Olomucium, quo Calendis Junii Anno MDXXVII. utriusque partis Oratores convenirent, Polonis judicibus cauſam acturi.

a) Die XXXI. Januarii An. MDXXVII. nuncupato Ordinibus Bohemiæ in civitate Iglavienſi fidei ſacramento, Pragam profectus, die XXIV. Februarii Rex Bohemiæ coronatus eſt. Annal. ad hunc annum.

Digitized by Google

JOANNES

actúri. Aderant pro Joanne de Zápolya Joannes Colocenſis Archiepiſcopus cum Andrea Strigonienſis, Joanne Statilio Budenſis Capitulorum Præpoſitis, & Joanne Pálfi: pro Ferdinando autem Jacobus Vratislavienſis Epiſcopus, Alexius Thurzo, Leonardus ab Harrach Aulæ Cancellarius, Andreas Adler Secretarius, & Beatus Videmannus. Ut præſtitutus colloquio dies illuxit, placuit primas in dicendo partes Ferdinandi Legatis deferre, ut ſic probationis onus in eos rejiceretur; Zápolyiani autem in reſpondendo & cauſæ, & temporis compendia poſſent facere. Videmannus ſuorum nomine loqui exorſus, Ferdinandi in Hungariam jura triplici ex capite probavit: ex pactis Friderici Cæſaris cum Mathia Corvino, & Maximiliani cum Uladislao: tum ex electione Poſonii anno ſuperiore facta: denique jure uxoris Annæ, quæ Ludovico II. Rege, & fratre ſine liberis decedente, unica Regni Hungarici hæres foret. Statilius, cui reſpondendi provincia demandata fuit, ut erat acri ingenio, & jurium ſcientiſſimus, ſubtilibus uſus rationibus,

JOANNES bium regione potitus Ferdinandus, ſpe citius Budam pervenit, quam paucis abhinc diebus Joannes tot virorum illuſtrium, locorumve defectione perculſus, præſidio vacuam reliquerat. Principem Regni Hungarici Urbem Regiamque ſedem triumphantis more in Procerum militumque comitatu XXII. Auguſti An. MDXXVII. ingreſſus, pro innata Auſtriacis pietate continuo ædem Divæ V. Deiparæ ſubiit, auditoque illic miſſæ ſacrificio, Deo bonorum omnium largitori gratias egit: luſtratis deinde non ſine admiratione Corvinianæ magnificentiæ monumentis, ſumtoque in Regia prandio, arcis cuſtodiam Thomæ de Nádasd fidei credidit: ipſe vero in caſtra ad veterem Budam poſita regreſſus, plures illic dies exegit: partim hoſtium motus obſervaturus, partim adventum Regni Ordinum, quos paulo prius Budam ad Comitia convenire juſſerat, præſtolaturus. Poſtquam autem debellatos a Nicolao Salmenſi Zápolyianos accepiſſet, diſtributo in hiberna milite, ad Regiam Budenſem ſe contulit, pluribusque deinceps

men-

JOANNES

menſibus ibi commoratus fuit. Ad præſtitutum comitiis diem præter eos, qui Poſonienſi conventui aderant, ingens omnium Ordinum confluxit frequentia, quos inter præcipuus fuit Paulus Vardai anno abhinc a Joanne Rege nominatus Strigonienſis Archiepiſcopus, & nonnulli Regni Barones. Die VI. Octobris conſultationibus initium factum: placuit ante omnia peractam prius Poſonii electionem novo Senatus conſulto confirmare: tum verò Joannes ſuis cum aſſeclis hoſtis Reipublicæ declaratus eſt; niſi usque ad diem XXV. Novembris novo Regi Ferdinando ſacramentum dixiſſet. Conſultatum poſtea de belli contra Turcas aliosve hoſtes gerendi ratione, decretumque, ut ſinguli portæ duos auri florenos eum in finem penderent. Petro de Perény negotium datum, ut Sacroſanctum Regni diadema ex arce ſua Sziklóſia Albam Regiam ad diem III. Novembris adferret, quo etiam univerſi Ordines ad Ferdinandi inaugurationem convenire juſſi ſunt. A)

A) Acta hæc ſunt Budæ die XXIX. Septembris

Digitized by Google

JOANNES

Qui ejectus Regno Joannés?

VIII. Comitiorum horum decreto, & vel maxime Ferdinandi virtutum fama per univerſum Regnum vulgata, vehementer diminuta fuit Joannis factio: quanquam non parum huc etiam contulit lætiſſimus belli ſucceſſus. Primum enim a Nicolao Salmenſi Comite Joannis copiæ ad tibiſcum diſſipatæ ſunt, atque iterum ad Agriam profligatæ: denique anno inſequente inſtaurato bello, tantam cladem prope Szinam Vicum ad Caſſoviam accepit Joannes, ut inſtantibus ubique Ferdinandi Ducibus, deſperata meliore fortuna, præcipiti fuga ſeſe in Poloniam demum ejecerit. Illic apud Joannem Tarnovium præpotentem dynaſtam hoſpitio acceptus, omnem prope Regni recuperandi ſpem poſuerat; niſi Hieronymus Laſcius Siradienſis Palatinus vir politica non minus, quam militari prudentia clarus, jacentem exulis animum erexiſſet, auctorque fuiſſet, ut ad Solimanni opem confugeret. Quod Laſcii conſilium,

An. MDXXVII, vide Annales, Reg. Hung., ad hunc ann. Item Urſinum Velium Lib. II.

Digitized by Google

lium, quem exitum habuerit: quomodo Regno reſtitutus Joannes: quibus demum pactis cum Ferdinando in gratiam redierit, ceteraque illius geſta, ad annum usque MDXL. quo vitam clauſit, mixtæque Regum periodo finem impoſuit, in rebus Ferdinandi, qua licebit, brevitate exequemur. JOANNES

IX. Itaque in Joanne de Zápolya alteram ſive mixtam Regum Hungariæ periodum abſolvimus. Ex iis, quæ hucusque dicta ſunt, abunde intelligi potuit, quantas hæc ſubierit viciſſitudines: exeunte prima periodo Regnum Hungaricum pene jam collapſum Caroli I. maxime vero Ludovici M. curis adeo feliciter inſtauratum omnique ex parte communitum fuit, ut æternitatem laturum videretur: idem tamen rurſum, ſive Regum ſocordia, ſive aliorum improbitate magnis impulſum ictibus ad interitum properabat. Mathias Corvinus tametſi puer adhuc ſolium conſcenderat, regnum inteſtinis factionibus diviſum prudentia ſua & incredibili labore, evul-

Quis ſecundæ periodi finis?

JOANNES evulſis penitus odiorum cauſis, non modo ad tranquillitatem revocavit, verum etiam multo florentiſſimum reddidit, ſucceſſoribusque optime conſtitutum reliquit. Verum Uladislai II. ignava indole & Ludovici II. adminiſtrorum fraude peſſime inſtituti imbecillitate factum, ut mox tota reipublicæ moles inclinaret, poſtquam, quæ eam animare debuerat, Regia eviluit auctoritas. Ut primum enim animadverſum eſt, omiſſa gubernationis cura, alterum ad otia; ad pueriles autem Regique parum decoras voluptates aſpirare alterum: tota Reipublicæ compages laxari cepit: mox impune violatæ leges: expilatum ærarium: neglecta litterarum ſtudia: ſublata militaris diſciplina: martius gentis ardor exſtinctus; curæ omnes ad quietem luxumque traductæ: adeo ut Hungaria ab iis ipſis, de quibus glorioſe toties triumphaverat, diriperetur: vicinis autem populis, quibus olim terrori; jam commiſerationi eſſet; cum florentiſſimam gentem hilari paſſu ad interitum properantem intuebantur, ruina eo acerbiore; quo facilius

Digitized by Google

JOANNES

jius erat eam prohibere: neque enim externa vi, & potentia; ſed domeſtico morbo accerſita fuit. Quapropter a clade Mohacſiana, poſtquam Joannes de Zápolya veteris Hungaricæ potentiæ reliquias ad ſe attraxerat, tametſi per Ferdinandum ei ſoli regnare licuiſſet; non eo jam res loco erant; ut rempublicam contra Ottomanorum impetum tueri poſſet. Quod autem Solimanni auxilio, ad Regnum recuperandum uſus fuit, omnium poſtea, quarum citra lacrimas meminiſſe vix poſſumus, calamitatum auctor exſtitit. Nam ut taceam religionem Catholicam, quæ jam inde a D. Stephani Primi Regis & Apoſtoli temporibus quingentis, & amplius annis inconcuſſa ſtetit, Turcis dominantibus oppreſſam, tot Provincias a S. Coronæ juribus avulſas, opulentiſſimas tot urbes everſas, multa centena virorum & mulierum millia variis temporibus in miſerrimam abacta ſervitutem, horrendam in frequentiſſimis ante plagis invectam ſolitudinem, duorum prope ſeculorum intervallo ſub Turcico gemuit

Digitized by Google

JOANNES

jugo Hungaria: illa tot olim Regnorum Domina! & fortiſſimus rei Chriſtianæ murus! Sed de his Ottomanicæ ſocietatis fructibus uberius in tertia, ſive Auſtriaca periodo acturi ſumus: indicare tamen hæc oportuit, ut unde profluxerint, jam nunc intelligeretur.

FINIS

PARTIS SECUNDÆ.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS
QUÆSTIONUM
PARTIS SECUNDÆ.

ALTERA SEU MIXTA REGUM HUNGARIÆ PERIODUS.

Cur mixta Periodus nuncupatur? - Pag. 1
Quis tum rerum Hungaricarum Status? - 5

WENCESLAUS REX XXIV. 7

Qua via ad ſolium eluctatus? - - ibid.
Nihilne eapropter a CAROLO Roberto obmotum? - - - 9
Quo exitu? - - - 12

OTTO BAVARUS REX XXV. 14

Cur OTTO prælatus CAROLO? - ibid.
Quam fœde Regno depulſus? - - 15

Digitized by Google

CAROLUS I. REX XXVI. 19

Qua demum via Regno potitus CAROLUS? ibid.
Quando inauguratus? - - - 22
Redditane continuo quies Patriæ? - - 24
Quomodo geſtum bellum Valachicum? - 27
Quomodo cum Serviis? Ruſſis? Tartaris? 30
Qua ratione Neapolitana jura CAROLO reſtituta? - - - - 34
Qui acquiſitum jus in Poloniam? - - 37
Quibus artibus Hungaria LUDOVICO firmata? - - - 39
Cur alienati a CAROLO Hungari? - 40
Quomodo inſtaurata res monetaria? - 42
Quando obiit CAROLUS? - - - 44
Quibus conſpicuus laudibus? - - - 45

LUDOVICUS I. MAGNUS REX XXVII. 47

Quam pronis ſuorum ſtudiis inauguratus? ibid.
Regni ſui initio quomodo inclaruit? - 49
Quid damni accepit in Dalmatia? - - 50
Quam turbatæ res Neapoli? - - - 52
Quam atrox ANDREÆ Regis Neap. cædes? 56
Quomodo per LUDOVICUM vindicata? - 59
Quibus pactis lites cum JOANNA Regina Neap. compoſitæ? - - - - 62
Quid negotii Ruſſiæ cauſa cum Lithuanis? 65
Quid item cum Tartaris? - 68

Quæ

Digitized by Google

Quanta Regis virtus bello Valachico? - 72
Quæ origo primi belli Veneti: - - 76
Quo ſucceſſu geſtum? - - 78
Qua pace terminatum? - - 80
Quæ fortuna belli ſecundi? - - 84
Quis exitus? - - - 87
Quæ præterea LUDOVICI bella? - - 91
Cur neglecta in Turcas Expeditio? - - 92
Quanta illius Regni amplitudo? - - 95
Jurene potitus Ruſſia? - - 97
Quam triſtis Ludovici orbitas? - - 103
Quid ſtatutum de Regno Neapolit.? - 105
Quid de Hungarico? - - 107
Quid de Polonico? - - 108
Quo ſuorum luctu diem obiit LUDOVICUS? 112
Quantus Religione? - - - 114
Quantus in MARIAM pietate? - - 117
Quantus pacis artibus Ludovicus? - - 120
Quantus item bello? - - 124
Quantum & Cur amatus a ſuis? - - 125

MARIA I. REX XXVIII. 131

An Reges inter cenſenda MARIA? - ibid.
Cur avulſa ab Hungaris Polonia? - - 134
Cur Hungari a Reginis alienati? - 137
Qua via accitus CAROLUS Parvus? 140

CA-

CAROLUS II. PARVUS REX XXIX. 144

Qui Regnum MARIÆ eripuit? . ibid.
Quam atrociter vita exturbatus? . . 147
Cædes CAROLI quanto ſcelere vindicata? 150

SIGISMUNDUS ROM. IMP. REX XXX. 154

Qua occaſione Regnum adeptus? . . ibid.
Qui liberata e carcere conjux MARIA? . 156
Quomodo ſopitæ turbæ? . 158
A morte MARIÆ quid periculi e Polonia? 160
Quid domi turbarum? . . 163
Quantum auctæ clade Nicopolitana? . 165
Quomodo reddita Hungariæ quies? . . 169
Quid in Dalmatia damni a LADISLAO Rege Neapolit. . . 172
Qua ratione recepta Dalmatia? . 174
Quae occaſio belli Veneti? . 177
Quo ſucceſſu geſtum? . . 180
Quomodo reſtituta per Sigiſmundum pax Eccleſiæ? . . 182
Quid damni ex Regis abſentia? . . 185
Quid commodi Hungariæ præſtitum a SIGISMUNDO? . . 192
Qua tempeſtate obiit SIGISMUNDUS? 197

ALBER-

ALBERTUS ROM. IMP. REX XXXI. 201

Qua cautione coronatus? ibid.
Quid ei litium cum Barbara Imperatrice? 203
Qua laude vixit ALBERTUS? 204

ELISABETHA REX XXXII. 207

A mariti obitu quæ Reginæ conſilia? ibid.
Edito filio quomodo mutata? 211

ULADISLAUS I. REX XXXIII. 214

Quo ritu coronatus ULADISLAUS? ibid.
Quam atrox inde bellum? 215
Quomodo exſtinctum? 218
Quæ fortuna adverſum Turcas? 220
Quomodo pax confecta? 223
Cur abrupta? 225
Quid de clade Varnenſi? 228

JOANNES DE HUNYAD GUBERN. 233

Qua tempeſtate electus Gubernator? ibid.
Quomodo pax cum FRIDERICO inita? 235
Qua fortuna pugnatum cum Turcis? 236
Quomodo item cum Giskra? 238
Quæ Hunyadii & ſociorum ſtudia pro LADISLAO? 240

LA-

Digitized by Google

LADISLAUS V. REX XXXIV. 243

Quando poſſeſſionem adiit ? - - ibid.
Quæ ſors Cilejenſis Comitis ? - - 246
Quæ novæ ejus fraudes ? - - 248
Qua clade pulſus Belgrado Turca ? - - 253
Quid de obitu JOANNIS de Hunyad ? - 256
Quæ alia viri decora ? - - 258
Quæ cædis Ulrici cauſa ? - - 262
Quæ occaſio ? - - 264
Qua ratione condonata ? - - 265
Quomodo vindicata ? - - 270
Quid inde turbarum ? - - 274
Qua laude vivere deſiit LADISLAUS ? - 276
Ab ejus obitu, quæ ſtudia Hungarorum ? 279

MATHIAS I. REX XXXV. 283

Qua via electus Mathias ? - ibid.
Quibus legibus ? - - 286
Ubi redditus Hungaris ? - 288
Qua pompa Budam deductus ? - - 290
Quanto mox objectus periculo ? - 292
Quam ſapienter illi occurrit ? - - 297
Quibus artibus pax domi reſtituta ? - 301
Quantis curis repetitum diadema ? - 305
Quæ in illud Hungarorum ſtudia ? 307
Quibus pactis receptum ? - 308
Quando peracta inauguratio ? - 313
Quid mox negotii cum Tranſilvanis ? 315

Quo-

Digitized by Google

Quomodo Moldavia S. Coronæ reſtituta? . . . 317
Unde enatum bellum Bohemicum? . . . 320
Quo ſucceſſu geſtum? . . . 323
Quo exitu terminatum? . . . 326
Unde enatæ domi turbæ? . . . 333
Qua arte ſopitæ? . . . 337
Qua diligentia res geſta cum Turcis? . . . 341
Quæ origo belli Auſtriaci? . . . 344
Quibus pactis ſopitum? . . . 347
Cur recruduit? . . . 349
Quanta gloria geſtum? . . . 351
Quo FRIDERICI damno? . . . 353
Quæ conſilia Regis de JOANNE filio? . . . 355
Qua morte ſublatus? . . . 358
Quis illi corporis habitus? . . . 361
Quæ animi decora? . . . 362
Quæ regendi dotes? . . . 366
In quem florem evectæ ſub eo ſcientiæ & artes? . . . 371
In quem item res militaris? . . . 376
Ab obitu Regis, quæ rerum facies? . . . 382
Qui in Regno æmuli? . . . 384
Quæ Joannis Corvini ſors? . . . 386

ULADISLAUS II. REX XXXVI. . . . 390

Qua via ſolium indeptus? . . . ibid.
Quibus conditionibus? . . . 394
Quando coronatus? . . . 396

Quo-

Quomodo ſopitæ lites cum ALBERTO fratre? . . . 398
Cur geſtum cum MAXIMILIANO bellum? . . . 401
Qua occaſione pax procurata? . . . 403
Quibus conditionibus? . . 405
Cur repudiata BEATRIX Regina? . 409
Qualis Regni principio ULADISLAUS? . 412
Feliciterne res acta cum Turcis? . . 415
Cur editum celebre illud decretum? . 418
Quomodo illi derogatum? . 423
Quo tempore coronatus LUDOVICUS? 426
Quæ occaſio cruciatæ expeditionis? . 428
Quanto Hungariæ damno? . . 432
Quomodo compreſſa ſeditio? . . . 436
Quid ea propter in comitiis actum? . 439
Cur renovata pacta nuptialia? . 442
Quo animo ea domi accepta? . 446
Quando diem ſuum obiit ULADISLAUS? 448
Qua ſui relicta memoria? . 449

LUDOVICUS II. REX XXXVII. 456

Quæ Regni ejus initia? . . ibid.
Qui corrupta Regis indoles? . . 464
Quæ inde in Rempubl. mala? . 467
Quando ſciſſa religionis unitas? . 472
Quæ occaſio primi belli Turcici? . 475
Quam ſiniſtre geſtum? . 477
Quomodo inſtaurata res militaris? . 482

Actum-

Actumne aliquid bene in Turcas? . 487
Quæ belli ultimi Turcici cauſæ? 490
Qui in id apparatus Hungarorum? 493
Quomodo effectui dati? . 498
Quantus pugnandi ardor? . 501
Quam improſpere pugnatum ad Mohács? 504
Quæ cladis tantæ cauſæ? . 508
Quam funeſtus Regis interitus? . 511
Quæ mala cladem hanc conſecuta? 513

JOANNES DE ZÁPOLYA
REX XXXVIII. 516

Quibus viis Regnum adeptus? . ibid.
Quando inauguratus? . . 519
Quibus artibus ſe communivit? . . 521
Nihilne contra actum a FERDINANDO? 524
Quo fructu tentata concordia? . 528
Quis belli ſucceſſus? 531
Quid actum in Comitiis Budæ? . . 533
Qui ejectus Regno JOANNES? . . 536
Quis ſecundæ periodi finis? . 537

FINIS
QUÆSTIONUM PARTIS SECUNDÆ.

Digitized by Google

BIBL. CENTR. UNIV. CLUJ
Nr. [illegible] 19[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DB
924
P3
1775
v.2

Stanford University Libraries
3 6105 013 433 920

Stanford University Libraries
Stanford, California

Return this book on or before date due.

Digitized by Google

Digitized by Google